L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI, MARTISBURGENSIS, ... DE MIRACULIS...


Christian Friedrich Garmann, Farnese

L. CHRISTIANI FRIDERICI
GARMANNI,
Martisburgensis, Physici Chemnicensis ordinarii, Academici Curiosi


DE MIRACULIS MORTUORUM.



LIPSIÆ,
Impensis CHRISTIANI KIRCHNERI.
CHEMNITII,
Typis Joh. Gabr. Güttneri. ANNO M. DC. LXX.







VIRIS
Nobilibus, Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis

Dn. JOHANNI GEORGIO BERLICHIO,

Hæreditario in Geißelröhlitz / Reipublicæ Chemnicensis p.t. Consuli Magistranti.

Dn. ATLANTI CRUSIO,

p. t. Consuli Assistenti.

Ut &
Venerando
Prædictæ Civitatis

SENATORUM ORDINI

Viris doctrina, prudentia & integritate maximè conspicuis.

Dominis Fautoribus atq;
Amicis suis colendis
S. D. P.

PRoperat vel spontè sua ad Vos, Patroni colendi, præsens ingenioli mei fœtus, ut illos, quos nutrices hactenus coluit, emancipatus præstoletur Tutores. Vos dudum rerum Physicarum cœpit admiratio, quanti Vobis Medicina sit, tot hactenus in me collata beneficia loquuntur. Tantũ abest, ut cum Catone Medicos civitate vestra exesse jubeatis, ut potius omni favore eos excipiatis, foveatisq;: Ut non sine causa CLmo Dn. D. Nestero olim commendaverit

Ve-

Vestram humanitatem Medicus ac Polyhistor incomparabilis Th: Reinesius Epist. 15. ad Nester. p. 27. Quocirca ut nubes eodem, quod à Sole hauserunt, lumine, tacita quadam gratitudine animatæ, plures in se Soles, quos Parelios vocant, pingunt, aut Iridis venustate Solem redimire gestiunt; ita & ego humanitate vestra coruscus, eandem his pagellis docto Orbi sistere decrevi: Absit verò plenarium id perhibeam favoris redhostimentum, arrhabonis saltim vice conatus hic meus fungitur.

gitur. Si veſtrum feret punctum meſsis, quæ modo in herba, largiorem forſan ſubſequo tempore ſpondebit proventum, facietqve tandem ut mea

Vincat avena tubas.

DEUS Nos ſervet. Chemnitii è Muſæo prid. Cal. Septembr. Anno 1670.

V. V. Amplitud. & Prud.

Obſervantiſſimus

L. Chriſtian-Fridericus Garmann.

LE-

LECTORI SUO AUTHOR

ὑγιαίνειν!

MIracula mortuorum pandere dum aggredior, & ad Nosocomia, feretra, Cœmiteria, tumbas sepulchrales, & alia loca, in quibus vel ipsa cum umbris excubat Proserpina, Lectores deducere conor, ad tàm lugubrem conatum quosdam supercilium contrahere, alios verò nares, cum nihil, qvod messem oleat Sabeam, labor iste promittat, obdurare video. Lugubria sunt hæc meditamenta Orbo potiùs quam libero destinanda Jovi. Nihil hic quod genium deliniat, nihil quod ad serenitatem mentem componat. Ita quidem si frontem hujus libelli, si titulum legerit, pronunciare hic vel ille non verebitur. Ut verò in eo, quod frons promittit, non raró fallitur, vel in ipso Socrate, Metaposcopus; Ita à titulo librorum quod sumitur judicium, justa sæpiùs destituitur decempeda. Fertur Diogenes hyeme in fumoso tuguriolo commorans prætereuntes ita compellasse: Introite, nam & hic Dii sunt. Tantum abest, ut cordatum libelli nostri frons absterrere possit, ut potiùs alliciat, si nullam aliam ob causam, ob eam saltim, ut mortalitatis eundem mox futuræ admoneat. Si Philosophis mortis meditatio, quî accuratius philosophabimur, quî melius? quàm si singularium in mortuis trutina nostram expiemus ignorantiam. In generatione & productione rerum quæ mirandam se præstitit Natura, eam in cadaverum putrilagine expirasse ne credas. Operatur illa mirabiliter in sterqviliniis, quî ergò in cadaveribus feriabitur. Cum igitur hoc thema à nemine

mine

mine quod sciam tactum, nedum elaboratum fuerit, illud ante triennium, cum in Alma Philuræa Licentiæ in Arte gradum ambirem, laudatissimis Saluberrimæ Facultatis sanctionibus satisfacturus Auditoribus meis pro ingenii modulo in prælectionibus publicis, primùm proponere accepi. Placuit tunc temporis operis raritas, jucunditas & utilitas non solum Auditoribus, sed & Dn. Præceptoribus meis, qui ut lapidem hunc imposterum diligentiùs volverem, publicoq; hunc meum laborem non inviderem, amicè sunt hortati. Cogitabam quidem oppidò cum *Plinio Secundo (l. 7. Ep. 17.)* quàm magnum sit aliquid dare in manus hominum, cum verò, ut cœptam telam pertexerem, Amici me idcircò compellare non desisterent, tandem solertiori adhibita opera libri duo de hac materia emersêre. Priorem librum jam Tibi sisto, sequetur propediem posterior. Miracula, ut dixi, pandunt mortuorum, in laxo sensu accepto vocabulo miraculi. Qvod enim aliis observationes raræ & singulares, quod mira in mortuis phænomena, id mihi miracula. Occulta Naturæ miracula evulgavit LEMNIUS, miracula Chymica MÜLLERUS. Ita de miraculis mortuorum primus tractatum edidit KORNMANNUS, multum tamen à meo scopo alienum. Præterquam namq; quod varia admiscet exotica & incongrua, in recensendis fabulis & miraculis ab otiosis & nugacibus monachis excogitatis luxuriat nimioperè. Pulchrè *Pindarus (Olymp. od. 1.)*

ἦ θαύματα πολλά.
καὶ πού τι καὶ βροτῶν φρένας
ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον,
δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
ἐξαπατῶντι μῦθοι.

Sanè miraculum sunt multa, & utiq; mortalium mentem, magis quàm verus sermo, diversis variegatæ mendaciis decipiunt fabulæ. Nec rationem hujus vel illius miraculi reddere ausus est KORNMANNUS, nec ordinem certum observare intendit. Rarò Acta, legendas Martyro-

tyrologia, aut Calendaria Sanctorum, aut etiam poſteriorum ſeculorum Scriptores allegavi, quia inter hiſtoricos ſuſpectæ fidei eos computavit *Pl. Rev. Dn. D. Bebelius antiq. Eccleſ. Sec. 1. art. 1. §. 9. p. 6.* cum aliis Theologis. Meum præterea non fuit, miracula vera Phyſicis obſervationibus miſcere, aut ſacra naturalibus combinare. Si quædam fortè è Theologis recito, incidenter ea ſaltim libo, accuratiorem diſcurſum illis committens. Paradoxa, fateor, quædam inſperſi, perpetuis tamen obſervationibus cùm Phyſicis tùm Medicis illuſtrata. Nemini ea obtrudo, nec venerandæ illis ipſis illudo Antiquitati. Tanti nova non facio, ut Antiquos floccifaciam, nec tanti mihi eſt antiquitas, ut novas interim oderim meditationes. Serpens Æſculapio ſacer ſucceſſu temporis ſenectam deponit, glabraq; cute nihil curans exuvias nitere geſtit. Obſervationes obſervationibus illuſtratas dedi, exempla exemplis, quæ methodus optimè ad veritatis centrum collimat. Φιλοσοφίαν ἐκ παραδειγμάτων, ut olim Polybius hiſtoriam vocavit, potiori forſan jure Phyſicam & Medicinam vocabimus. Inde eorum labores, qui obſervationes tales concinnârunt, ſatis deprædicare non poſſunt *Viri in Arte noſtra Magni, Jacob. Zvvingerus (Cap. Hildan. Cent. 1. obſ. Chir. 54.) Conringius (in præf. obſ. Salmuth.) Dn. D. Chr. Langius (Gymn. 1. Miſcell. Curioſ. § VI)* Audiendus erit *Tulpius (præf. obſ.)* Minus proſunt præcepta quam Exempla, quorùm certè directrice norma non magis carere poſſunt Medici, addo & Phyſici, quàm Nautæ cynoſura; aut Architecti linea, libella ac circino. In rationibus hujus vel illius miraculi eruendis, ſi non ſemper rem acu tetigiſſe Tibi videbor, prenſo, ut tenuitati meæ non ſuccenſeas, ſed ſuccurras. Hujus vel illius Viri docti opiniones ubi examino, ſine dente ſine felle id tento, ſi & Tibi à nobis diſſentire placebit animum ad humanitatem compoſitum affer, noſq; placidè monere non abnue, nihil tàm à Cordato alienum eſſe reputans, quàm conviciis ad veritatis punctum col-

limare velle. Styli inæqualitas cui sordet, recordetur, me potius rerum pondera, quam verborum affectationem in tanta rerum & Autorum diversitate curasse. Placuit illud Atheniensium *(ap. Thucidid. l. 2.)* Φιλολογοῦμεν τε μετ' εὐτελείας, καὶ φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας. Elegantes sumus cum parsimonia & philosophamur sine mollitie. His vale, si libet utere, elegantiora forsan & utiliora propediem expecta.



Ad

Ad Nob. & Excell.
Dn. CHRISTIAN-FRIDERICUM GARMANNUM,
Medic. Licent. Physicum Chemnicensem dignissimum, & Sacr. Rom. Imp. Academ. NATURAE-CURIOSORUM
POLLUCEM
Eruditum opus de MIRACULIS MORTUORUM edentem.

IMmortalis erat POLLUX, sed CASTORIS ergò
  Induit humanæ conditionis onus:
Tute immortalis divinâ mente manuq;,
  GARMANN, hoc tanto munere quosq; beas.
Filius Auroræ rorans argentea grana
  Marcida vivifico Nectare prata rigat;
Naturæ Genius GARMANN vitalia fundit
  Balsama in exanimes: Quis queat ergò mori?

Αὐτοσχεδιάσι

JOHANNES MICHAEL FEHR,
Phil. & Med. D. Phys. Suinfurt. ordinar. S. R. I. Academ. Nat. Curios. Præses & Argonauta.

Svinfurt. 24. Decembr. 1668.

QUæ nova de nigris scintillat Flamma sepulchris,
  Bustorumq; antris vult reserare diem?
ÆDEPOL haut Nautis POLLUCIS Numen amicum
  Gratius illuxit dum fugit ira maris:

 Lam-

Lampade ceu NOSTER POLLUX illuminat òrbem,
Abdita dum LETHI QUAE TEGIT URNA refert.
Felix qui potuit tantas cognoſcere cauſas;
Tramite in obſcuro qui bene calcat iter!
Æmula * PERPETUAE GARMANNI eſt FAMA LUCERNAE,
Quam perſæpè dedit crypta patente ſinu;
Quam non Tempus edax ſuperavit, & aura ſepulchro
Intercluſa, diem fovit & in tenebris.
Sic Tua Charta Senex ſuperabit Marmora Buſti,
CANDOREM Famæ NIGRA favilla dabit;
Quæq; aliis MORTEM, VITAM TIBI ferre ſepulchra
Auguror, En Famæ Gloria ſumma LAPIS.

* Alluſio ad Lucernas ſubterraneas, plurimos annos in ſepulchris ardentes, qualis Tulliolæ M. Tullii Ciceronis filiæ ultra 1500. ardente in via Appia Paul. III. Pontif. inventa aliisq; Fortunius Licetus in de Recondit. Antiq. Lucernis l. 1. cap. 2. & ſeq.

COLLEGAE SUAVISSIMO
gratulabundus accinebat è Vratislavia Sileſiorum Cal. Jun. 1669.

PHILIPPUS JACOBUS SACHS,
à Levvenheimb, Ph. & M. D. S. Rom. Imp. Acad. Nat. Cur. p. t. Adjunctus.

QVæ ſcriptitas MIRACULA,
GARMANNE, Vir CLARISSIME?
An MORTUORUM ventitas
MIRACULA? an Viventium?
DEMORTUORUM ſcriptitas.
Quid eſt? quid hoc rei novæ?
Num Mortui MIRACULA

Poſt

Post fata possunt edere?
Possunt & edunt sæpius.
Ergò tuis dignissima
Sunt ventilationibus
Doctissimis MIRACULA
Demortuorum singula,
Fac ut brevi MIRACULA
Tua videam, videre quæ
Congestio quàm maximè.
Si sic opus totum Viris
Aliis placet doctissimis,
Sicut mihi rarissimi
Inventio placet thematis,
Verè feres CLARISSIMI
Titulum Viri & DOCTISSIMI;
Merces erit, quæ dignior,
Olympicam quam si feras
Palmam celebri in Græcia.

d. 4. Decembr. 1668. *Halis Saxonum deproperat*

VALENTINUS ANDREAS MÖLLENBROCCIUS D. Med. ib. ordinar. Academ. Curiosor. Pegasus.

Miretur ætas prisca Doricum Alcidem
Ammone dignum Patre pupulum in cunis,
adultiorem tot nefanda monstrorum
forti domantem secla dexterâ: parta
quem tot trophæa provehunt ad excelsam
honoris ædem: Nos stupemus invictum

ſudoribus multis & arte Garmannum,
conatibus Virûm per ora præclaris
longè volantem: namque monſtra plantarum
& mortuorum monſtrat ille miracla
Orbi erudito Nominis perennante
cum gloriâ: Fors alter audit Alcides?
Ita eſt: & arduam ſibi parat laudem,
clavâque Momum tundit uſque monſtroſum.

Erford. prid. Cal. Febr. 1669.

Auſibus egregiis & Cedro digniſſimis Excellentiſſimi Dn. Collegæ adclamat Feliciter!

GEORG. CHRISTOPH. PETRI D.
Med. Electoral. Mog. Facult. Med. Aſſeſſor,
Academiæ Naturæ Curioſorum Achilles.

SCAZON.

ET jam fuit Tibi à pueritia prima
Cum mortuis commercium, ipſa Natura
Geniusq; tramitem Tibi huncce monſtrarunt
Quid Tullius, quid Maro, quid Stagirita
Quid Plato, mortui docent Tuus fervor
Dudum hauſit. Ipſe Cous, & minor Solo
Coo Galenus imbuêre Cor, fœtum
Animat calore blandulo Theophraſtus,
Helmontiusq; lambit, ut novâ formâ
Præſtans Tua eruditio coruſcaret.
Exinde mortuorum prodeunt mirâ
Solertiâ miracula elaborata.
Miracula hæc mirantur oppidò Docti.
Quid? Artium Veſpillo Zoilus laudat.
De mortuis è mortuisne ſcribentem
Reputabit inter mortuos ſequens ætas?

Amico ſuo honorando Ileburgi prid. Calend. Maji 1670. lmq, p.

GODOFREDUS Burbaum/Med.
D. Phyſ. ib. ordinar.


Emendanda.

pag.	§	lin.	
pag. 2.	§. 2.	lin. 6.	regitur l. tegitur.
7.	16.	4.	fer. l. fen.
		6.	gelasinam l. gelatinam.
8.	19.	4.	perspicatiores l. perspicaciores.
14.	38.	1.	Deleatur pilos esse &c.
23.	12.	31.	infans l. fœtus.
25.	13.	23.	Jüdgen l. Gürgen/ut & p.30. & 31.
		28.	Cur l. cum.
28.	8.	1.	qrærit l. quærit.
34.	24.	16.	cruorum l. cruorem.
		22.	carpore l. carpere.
35.	26.	2.	optimè l. optimæ.
39.	34.	26.	sepultum l. sepultura.
40.	36.	2.	Saxoni l. Saxonia.
59.	1.	2.	Not. l. Nat.
62.	10.	11.	voluerunt l. noluerunt.
65.	13.	10.	alibi (l. 1. de plant. monstros. Exerc. s. 3.) l. (c. l.)
72.	16.	6.	interruptum l. incorruptum.
		8.	visellio. l. vitellio.
73.	18.	4.	quæ l. qui.
		5.	expetit l. expetunt.
		12.	matefacta l. madefacta.
	19.	11.	segem l. Seger.
		13.	Boglei l. Boylei.
74.	19.	9.	mortui l. motui.
	21.	4.	idem l. eidem.
	22.	5.	deleatur quasi. aquæ l. aqua.
75.	23.	6.	Meseor. l. Meteor.
		8.	Gollius. l. Crollius.
	24.	5.	adimuntur l. aduruntur.
	25.	2.	vetustiores l. vetustiore.
76.	27.	8.	tusus l. tusum.
	29.	4.	abortiri l, abortivi.

pag.

pag. 77.	§. 30.	lin. 10.	Servius l. Servium.
	31.	13.	penetrat l. penetrant.
78.	31.	1.	arbeſtum l. asbeſtum.
	32.	5.	quondam l. quandam.
		8.	Matriol. l. Mathiol.
	33.	10.	Umbi l. umbr.
79.	34.	5.	Cor deleatur.
	37.	1.	Lithios l. Lithias.
87.	2.	16.	annulus l. annulum.
91.	15.	3.	Carnarius l. Cornarius.
101.	4.	2.	rupta l. nupta.
102.	5.	16.	Antonius l. Antoninus.
103.	8.	15.	aſſignant l. aſſignat.
104.	9.	4.	favere l. facere.
	10.	1.	ſagvinem l. ſangvinem.
		3.	aſterias l. arterias.
108.	15.	10.	ſpecies l. ſpecie.
	26.	12.	(obſ., mſſ. l. Cent. 3. obſ. med. 40. p. 130.)
		17.	ad S. Gothanum l. Gothartum.
	17.	1.	Iudis l. Indis.
109.	17.	4.	Eluctuarium l. Electuarium.
	20.	2.	indurunt l. inducunt.
	21.	2.	iterat l. iterato. ſentiat l. ſentiant.
110.	2.	2.	Mutonici l. Plutonici.
111.	23.	14.	per aliquot, adde dies.

Reliqua, ſi quæ ſuperſunt, L. B. cura & facilitas emendabit.



LIBR. I. TIT. I.

De Capillorum augmento.

Summaria.

CUr à capillis noster ordiatur sermo. Helmontii Jun. de capillis effatum. Capillorum dignitas à capite. Capilli qvid nobis. Eos non esse partes corporis. An revera crescant. Aviculæ Martinettæ pennæ. Capillos perennare. In mortuis colorem mutare. De Manucodiatæ pennis observatio. Sagæ augmentum non procurant. Cur non in omnibus augeantur. Unicuiq; pilo propria anima. Pilos in corpore nostro esse vegetabilia. Semen Capillorum. Radix. Nutrimentum. Colorum varietas excrementorum varietati non asscribenda. Avicularum pennæ. Vera colorum caussa. Fermentum. Capillorum cum ætate mutatio. Aqvam colores mutare. Caussa. Pilorum Species diversæ. Monstrositas. In toto corpore pilos generari posse. Ætates pilorum. Pili tantùm ornamentum. Sensus eorum. Thesis. Autoritate veterum & recentiorum. Poëtarum. Cur perennent. Cur in mortuis mutentur. Capillorum antipathia. Transplantatio Borelliana.

§. I.

UT capillis primum in hoc tractatu nostro assignaremus locum, si nulla alia subesset Caussa, illa, modò veritatis suffragio non destitueretur, qvam *Junior Helmontius* (*in Alphab. Nat. Colloq. 4. p 31.*) dedit, nos animare posset, dum pronunciare nõ veretur, capillos non tàm abjectos esse, qvantum qvidem habentur, qvia insimul tot tamq; vehementes Ideæ per illos & in illis potissimum se exerunt. Colligit pariter ex analogia majoris & minoris mundi, Cœlum mi-

crocosmicum esse caput, stellas capillos, comprimis qvia de Deo non tantùm dicitur, qvod numeret stellas, sed & capillos capitis nostri. Inde concludit: ut stellis non sua deneganda influentia; ita nec capillis.

§. 2.

Nos hæc suo relinqvimus Autori & non sine causa capillorum dignitatem ex alio deducimus fonte. Nempè capilli capiti inhærent eiq; fulgorem & ornamentum affricant cur non vicinis radiis Capitis coruscarent? Capite namq; ignis ille divinus, ratio & mens acris, vigens & sagax, Character qvidam & effigies divinæ essentiæ, qvinorũ sensuum satellitium animæ tanqvam Cœlo regitur. Inde proinde religio & qvoddam Numen inesse fertur: eapropter ibi honorum insignia & diademata Regum esse voluêre (*[illegible] hist. part. corp. hum. [illegible]*) Joviq; Ethnici id detulêre (*[illegible] animadv. c. 12. p. 174.*) ut igitur qvibusdam populis in more positum fuisse legimus, primum haustum è Cranio abligurire, ita & crinis ornamentum nostri laboris erit promulsis.

§. 3.

Hìc verò non sine causa notamus capillos non tantum capitis, sed & reliqvarum partium pilos denotare, comprimis vero menti, qvos barbam vocant. De illis igitur, (qvamvis capilli & barba semper potiorem hic faciant paginam) dicitur, qvod mortuo homine (1.) permanent. (2.) crescant. (3.) ratione coloris mutentur.

§. 4.

Nos rationes horum miraculorum reddituri, minimè illorum premimus vestigia, qvi pilos corporis nostri partibus annumerarunt. Obstat præfatum illud augmentum. Si enim pars vivit vita totius, cur toto tabô diffluente non etiam pars illa non tantum non corrumpitur, sed insuper etiam crescit, & augmenta capit. A vita sanè qvod dependet, mortuo minimè competit corpori. Nec causæ suæ sperent asylum, qvi cum *Platone* (*[illegible]*) & *[illegible] de occult. Nat. mirac. [illegible]*) in corpore mortuo per aliqvod tempus vestigium aliqvod animæ remanere asserunt. Demus id ad tempus. Qvomodo, cadaver dum corrumpitur, scintilla illa soli capillorum generationi & saluti micabit? Nec excrementorum copiosa

in ca-

in cadavere productio, qvæ affatim nutrimentum capillis suppeditabit, hic aliqvid valet. Ridiculam omninò & vanam hanc rationem non sine ratione vocavit *Mercurialis* (*l.1. de morb. cutan. c.5. p.14.*) Propterea qvod ad pilorum auctionem non modò necessaria excrementorum copia, verum etiam vis expultrix, reqviratur, qvæ in corporibus mortuis non adest.

§. 5.

Opponet nobis *Alex. Trallianus* (*l.1. Problem. 14[illegible].*) in defunctis marcescente carne omnes partes pilorum ad usq; radices se ostendere, & inde fieri ut longiores videantur, non qvod ullo modo augeantur vere & crescant. Sed tabidis & defunctis pilos verè crescere jam olim notaverunt *Aristoteles* (*l.3. hist. animal. c.11. & 2. de generat. anim. c.4.*) *Johannes Grammaticus* (*comment. in 2. de generat. animal. c.4.*) *Plotinus.* (*l. l.*) *Cardanus* (*l.8. de variet. rer. c.4[illegible].*) id etiam ultra annum deprehendit. Adde *Camerar.* (*l.6. memorab. §.47.*) idq; in suspendiosis, qvos Jupiter lavat, Apollo ungit & siccat freqventer, accidere addit *Del-Rio* (*l.2. disqvisit. Mag. qvæst. 25. p.261.*) Qvod vero (*p.262.*) Dammis oppido propè Brugas persvaderi sibi passus sit, Salvatoris crucifixi imaginem prægrandem ligneam comam & barbam producere, qvæ qvotannis attonsæ refruticarent, miramur. Addimus hic de Aviculæ Martinetæ in Islandia pennis (qvod enim in homine pilus, in avibus est penna, ut mox demonstrabitur) De illis aviculis retulit *Mercator* (*in Atlant. minor.*) & ex eo *Zeilerus* (*part.1. Epist.79. p.224.*) qvod in loco sicco asservatæ non tantum non putrescant, & vestibus additæ eas à blattis defendant, sed & singulis annis novas recuperent pennas.

§. 6.

Qvod diu putredinis effugiant tyrannidem Capilli, lippis & tonsoribus non ignotum. Dignum Scitu: Scribit *Cal. Rhodiginus* (*l.3. antiq. lect. c.24. col. 46.*) Qvum Pontifex Sixtus, ejus nominis qvartus, reipublicæ Christianæ præsideret, compertum Romæ in via Appia è regione Ciceronis conditorii muliebre Cadaver, qvod ex inscriptione conjectatum est, fuisse Tulliolæ. Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non sentiret. In eo visebantur Capilli aureo impliciti reticulo, summa omnium admiratione reperiri

aliqvid, in qvod mille anni qvingenti ferè nil valuissent. Confer. *Camerar.* (*c. 12. memorab.* §. *89.*)

§. 7.

Ita in mortuis colorem mutant. In furca suspensis aut rotæ impositis canescunt, ut experientia docuit. In vivis canos in nigros & rubros aliqvando mutatos fuisse legitur apud *Sennert.* (*de consf. & dissens. Chym. c. Aristot. c. 18. p. m. 567.*) in mortuis verò id non esse impossibile, observatio *Nobilissimi D. D. Joh. Dan. Horstii* (*part. 1. manud. ad med. c. 1.*) evincit, qvam ex relatu nepotum habet, de Sororio Proavi sui Ekkardo Barbato, Præfecto territorii & Arcis Alsfeld, qvi barbâ canâ defunctus, apertâ v. ejus crypta, cùm filius ejus humo mandaretur, rufâ inventa fuit, cœtera cinis.

§. 8.

Capillorum consensus hic non prætereundus, qvem annotavit *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hist. anat. 41. p. 67.*) Ex vulnere, infit, cæsim facto cutis capitis pilosa viro cuidam fuit detruncata. Curato vulnere pilosam illam cutem exsiccatam idem asservavit suorum æstimator. Vergente deinde ætate cum sano capite aut vivo aut calvescente aut canescente capillitium qvoq; exsiccatum cistæ inclusum & canos pilos ostendit, & tandem, sicut possessor, calvitiem.

§. 9.

Qvod capillis accidit, idem & venustioris formæ avium pennis, qvas unà cum cute singulari industria ars detrahere novit, ut viventes adhuc mentiantur aviculas. Ita Citrinas in Manucodiata successu temporis multum de suo colore remittere & ad albedinem vergere aliqvoties observavimus.

§. 10.

Ut igitur Causas dicamus, non ad sagas aut veneficos recurrimus, ut *Martinus Del-Rio* (*c. l.*) cum ipsomet etiam fatente Causæ naturales non desint.

§. 11.

Non in omnibus autem cadaveribus id deprehenditur augmentum, sed comprimis in junioribus aut consistentis ætatis, in violenta morte extinctis, aut qvorum fatum morbus magnus acceleravit.

His

His enim ſuccus ille glutinoſus, verum capillorum nutrimentum, eſt copioſus, qvi florido ſuo balſamo pilos facit germinare, corpus qvamvis tabo diffluat & corrumpatur. Qvod verò in hecticis & tabidis, dum adhuc vivunt, aliqvando decreſcentibus reliqvis membris pili ſuccreſcant felicius, in cauſa eſt latens calor hecticus, pilorum generationi proportionatus, qvi gluten illud nutricium, ut debitam obtineat conſiſtentiam, à ſeroſa colluvie ſenſim ſenſimq; purgat. Secus evenire videmus in febribus ardentibus & malignis, in qvibus nutrimentum illud partim corrumpitur, partim aduritur, ut Calvi appareant poſt morbum, qvos capillatos offenderat primus inſultus.

§. 12.

Unicuiq; igitur pilo propriam cum *Arnoldo Senguerdio* (*Oſteol. corp. human.* c. 1. p. 8.) tribuimus animam. Opponit qvidem Excell. Dn. D. Joh. *Andreas Graba Collega non ita pridem noſter, jam inter cælites degens, cujus præmaturum obitum ex animo dolemus* (*Elaphograph.* ſ. 4. c. 1. p. 85.) Sicuti anima nunqvam magis & minus recipit; ita nec Animæ eſſentia permittet, ut peculiaris anima ſingulari tantùm parti tribuatur. Adde huic *Th. Bartholin.* (*l. 3. Anat. reform. c. 1. p. m. 306.*) Concedimus hanc theſin *Viris Clariſſimis*. Pilos verò corporis noſtri partes, ſive latè ſive ſtrictè vocabulum partis accipias, eſſe poſſe, conſtanter negamus.

§. 13.

Ut ergò nos brevibus expediamus, dicimus capillos & pilos in corpore noſtro eſſe vegetabilia ſeu plantas, ornamenti potiſſimum gratia eidem à ſummo Conditore additas.

§. 14.

Seminibus certis gaudent Plantæ è qvibus germinent. Ita & pili. Qvicqvid fit, fit è ſuo ſemine. Illud qvamvis inviſibile ferè ſit, nullum tamen idcircò non eſt. Superadditur ſemini humano (experimento lanæ, ſi caper ovem ineat aut aries capram, id conſtat) talis odor fermentaceus, qvi concretus atq; denſiori aura ſaltem perfuſus vegetat, ut argutè *Helmontius* (*tr. magnum oportet n. 2.*)

§. 15.

Radice gaudent certa, ut Plantæ. ῥίζαι inde pili *Hippocrati* (*de nat. puer. p. m. 194.*) dicuntur. Qvid verè in Pilo ſit radix, omnium

optimè docuit *Solenander* (*sect. 1. Consil. med. 1. p. 1.*) Non illud est album, qvod in extremis nigris pilis circumnascitur, qvia hoc non extruditur, sed in ipso poro hæret, pituitosum qvoddam ac veluti pilo transeunti viam & commeatum præbet. Percurras animo varios vasorum in corpore nostro divaricationes, qvibus diligens & sollicita Natura semper aliqvid apponit, glandulas, pingvedinem aut simile qviddam, qvo hujusmodi vasorum divaricationes tutius abscedant. Eodem modo hæc viscositas adnata videtur pilo. Scio, pergit, qvod eundem usum non præbeat, neq; data opera natura eò supponit, attamē meatus nonnihil offarcit, ac pilum magis, ne excidat, retinet ac firmat. Qvod verò radix non sit, sic agnoscas, non in omnibus pilis reperitur, neq; in qvolibet corporis loco, sed solùm ubi cutis crassiuscula est. Præterea in exanthematis, phydraciis, favo, manantibusq; capitis ulceribus, si pilum extrahas, stipatam admodum ejus imam partem invenies hâc materia. Conspicies statim subseqvi & emanare humidum, qvod ut plurimum ei simile, qvod nullo modo pilis materiam præbere, confiteare necesse est. Invenies qvoq; hoc album non extremum esse in pilis, neq; eorum partem, qvod radix tamen esse debet. Nam vel ungvibus vel cultello potes pilo, qvem ambit, illæso abradere. Taceo qvod omnes omnium pili (hac existente radice) albidi conspicerentur, aut saltem subpallidi, nam ferè ex his coloribus unum ea materia referre solet. Sed qvænam igitur, qværit demum, est pilorum radix? Ea sanè varia est, in qvibusdam subnigra, in aliis pallida, in plerisq; fusca: nonnullis copiosa, qvibusdam pauca: aliis vix conspicua. Hæret extremo pilo glutinosa, putares muscæ excrementum, in calidis & siccis copiosior esse consvevit, in qvibus picem nigram vel bitumen illud, qvod Judaïcum nominamus, colore & lentore suo ut plurimum repræsentat, qvod si extractum pilum chartæ aut alicui corpori injicias, ita pertinaciter hæret, ut vix excuti se patiatur.

§. 16.

Ut humore plantæ, ita & pili nutriuntur. Hæret ille in cutis glandulis, (qvid enim cutis nisi glandulosa substantia?) inde ubi glandulæ, ibi etiam pili (*Hipp. l. de Glandul. p. m. 238.*) aut veriùs ubi pili, ibi glandulæ) ab iis attractus coqvitur, & à radice attrahitur.

Varii

Varii qvidem coloris eſt,omnis tamen non tantùm humidæ,ut vult *Arnoldus Senguerdius* (*Oſteolog. c.1. p.9.*) ſed & unctuoſæ & glutinoſæ ſubſtantiæ,ut rectè *Avicenna* (*ſer.7. l.4. tr.1.*) adeoq; ejusdem cum Cornuum & Ungvium nutrimento,ut concludit *Excell. Dn. D. Graba* (*c.l.*) Talem lentorem omnium cuti ineſſe exemplo tergoris bubuli probavit olim *Ariſtoteles* (*c.l.*) ex qvo gluten coqvere ſolent. Et *junior Helmont* pilos coctos gelaſinam dare notavit (*c.l.p.32.*) Qvocirca *Hippocrates* (*l. de Carn. p.m.211.*) ubicunq; in corpore glutinoſum exiſtit, ibi pili gignuntur. Patet id præterea ſi humorem eorundem radices lambentem conſideres, aut Plicam Polonicam.

§. 17.

Variis gaudent coloribus capilli, non aliter ut plantæ, certas ut qvaſi conſtituant Species. Qvi excrementorum varietati qvõ nutriuntur id detulerunt,noſtro qvidem judicio, omnis erroris non penitùs abſolvendi. ὁμόψηφον hic adducemus *Nobiliſſimum Conringium, qvantæ autoritatis virum!* (*tr. de Habitus Corp. German. Cauſ. p.142.*) cujus verba potius qvàm noſtra accipias. Non eqvidem ego, inqvit, temerè aſſenſerim iis, qvæ *Galenus* noſter habet (*l.2. de Temper.*) Fit niger pilus cum deuſto vi caloris vapore excrementum in exactam fuliginem mutatur: Flavus verò cum vapor minùs torretur: qvippe qvod tum eſt impactum flavæ bilis non nigræ feculentum excrementum eſt: Albus verò pilus ex pituita naſcitur: Rufus, ſicuti coloris flavi albiq; eſt medius,ſic ejus generatio ex pituitoſæ bilioſæq; fecis media qvadam natura provenit. Non,inqvam,his acceſſerim facilè. Neq; enim ejusdem neceſſum ſit coloris pilus ipſe cum materia, qva alitur: qvemadmodum ex ſangvine rubro nihil non fit partium corporis etiam albarum. Itaq; flavedo pili non indicat ſtatim materiam ſuam eſſe flavam bilem: ut nec albedo pituitam, aut nigredo arguit humorem melancholicum. Nec omnes qvi pilo ſunt flavo aut rufo in venis multum continent flavæ bilis. Certè ſangvis illorum æqvè eſt plerumq; dulcis atq; alborum,neq; plus flavedinis in eo, qvam in aliorum cruore deprehendas. Qvantò rectior eſt *Ariſtotelis* Philoſophia, pergit, colorum illam varietatem eſſe à diverſa coctione humorum in ipſis pilis. Scilicet verisſimum

eſt qvod

eſt qvod ille notavit: Ipſis pilis congenitam eſſe vim aliqvam caloris, qvô ſe amplificant & nutriunt. *Hactenus Vir Clarisſimus.*

§. 18.

Falſitatis etiam convincunt Galenicam aſſertionem avicularum variegati coloris pennæ. Ad has devolvor, qvia & illæ vegetabilib9 animaliũ aſſcribendæ. Qvod acutè probat *Petrus Joh. Faber: (l.3. Panchym. ſ.2. c.4. p.313.)* Verè volucres nonnullæ ſunt flores naturales vivi, dulce modulantes, qvid in floribus mirum eſt & admirandũ? qvin idem in Avibus reperiatur circa colores & odores. Id rectius de plumis avium nos interpretamur, nullo modo vermiculatis plantarum Emblematibus cedentibus. Hìc ſanè curioſa mens materiam ſat amplam reperiret, in qva ſe exerceret, ſi prata aëris perluſtrando Botanicam inſtituere, cum iisq; qvas terra dat componere, non gravaretur. Dabimus qvædam fundamenta circa colorum proportionem (hæc enim ſummoperè attendenda veniet) aliqvando in *Pica noſtra Curioſa.* Colorum, inqvam, in plumis iſtis diverſitas Galenicam evertit hypotheſin. Qvanta namq; humorum miſcella animo eſſet concipienda, ſi vel unicum Pavonis ſpeculum conſideres.

§. 19.

Unde igitur iſta colorum diverſitas? A diverſa coctione, reſpondit *Conringius* (§. 17.) Coctio iſta cùm per ſe non tingat humorem, unde qvæſò Tinctura? A fermento. Utimur hoc vocabulo interim, donec magis accommodatum dabunt perſpicatiores Naturæ Conſulti. Latet illud in ſemine. Audiamus *Kircherum (l.1. Art. Magn. Luc. & umbr. c.5. p.79.)* Sicuti vis plaſtica in ſemine latens unicuiq; largitur ſuam formam & figuram, naturalibus operationibus convenientem: Ita in ſemine uniuscujusq; rei vis Chromatica ſeu colorifica latet, qvâ unum qvodq; conveniente colore ornaretur. Non repugnamus interim *Boylæo Novo Naturæ Atlanti* (ut vocatur *Th. Bartholino Diatr. de Pulmon. ſ.5. p.93.*) (*Experim. de Color. part.1. c.3. p.22. & 23.*) ſuperficialibus partibus colores ineſſe, ut ceraſa, pruna (addo & flores plurimi,) & Chalybs levigatus, declarant. Nec ſine cauſa variam partium texturam idem allegat (*c.l. c.2. p.16.*)

§. 20.

Colores à fermento proficiſci vel Bombyces demonſtrabunt,

Cur

Cur namq; hic flavum alter candicans sericum evomit? cum uterq; unum idemq; sumat nutrimentum, Mori nempè glutinosa folia. Sangvis insectorum (cur verum sangvinem illis Physici denegent causam nullam videmus) modò flavum, modò album, modò nigricantem & obscurum &c. præ se fert colorem. Id verò soli fermentorum diversitati acceptum erat ferendum.

§. 22.

Colores Capillorum mutat ætas, non aliter ut Plantarum tempus. Plantarum rudimenta & novella germina colorem saturatum viridem successu temporis demum conseqvuntur. Pari modo capilli in principio albescentes & flavi obscuriorem successu temporis nanciscuntur tincturam. Rufos puerorum capillos sensim ob affluentem alimenti ubertatem nigricare *Strato Lampsacenus* (*l. de coloribus.*) prodidit. Cultura etiam hic attendenda. Inde *laudatus Conringius* (*c.l.p.148.*) causam redditurus cur ruffo capillitio non ampliùs, ut olim, rutilent Germani, hanc etiam subjungit. Jam capiti tegumenta dudum cœpta sunt imponi præter morem Veterum: Unde crines multorum aqvosi humoris copia necessum est plus scateant atq; olim, utpote qvi à Sole & ventis non diffletur & absumatur. Hæc etiam causa esse poterit cur barba colore capillis sæpiùs non respondeat. Cur caput tectum gerentes citiùs canescant? consulendus est *Mercurialis* (*de morb.cutan. c.6. p.51.*)

§. 23.

Aqvæ diversitatem etiam capillorum colorem mutare *Kirchero* (*c.l. part.3. c.8.* §.*4.Reg.6.p.103.*) placuit. In Macedonia & Galatia tales fluvios reperiri *Seneca* (*l.3.rer.nat. c.25.*) annotavit. De Scamandro flavas oves reddente & aliis *Aristoteles* (*l.3. hist. anim. c.12. p.m.93.*) *Ælianus* (*l.8.hist.anim. c.20. & l.12.c.33.*) *Solinus* (*Polyhist. c.12.*) De flumine Cappadociæ eqvorum etiam colorem exotica tinctura afficiente *Seneca* (*c.l.*) Similia de fontibus *Plinius* (*l.31. hist.nat.c.2.*) & *Solinus* (*c.35.*) Adde qvæ prætereà collegit *Majolus* (*Tom.1. dier.Canic. Colloq.11. p.415.*)

§. 24.

Venena epota calvitium procreare *Serenus* (*l. de morb.cur.c.8.*) his docuit:

Defluit expulsus morbo latitante capillus,
Si rarò lavitur, seu vis epota veneni est,
Seu Salamandra potens, nullisq; obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu dejecit honorem.

Exempla recitat *Schenkius* (*l. 7. obs. med. p.m. 842.*) *Th. Bartholin.* (*Anat. Ref. l. 2. c. 1. p. 304.*) Aqva autem & terra veluti à Natura destinata qvædam, in qvibus venenum recipiatur, marsupia (*Kircherus s. 1. Scrutin. Pest. c. 10. p. 115.*) Inde cum potus talium aqvarum albescentes ovium aut eqvorum faciat pilos, venenum lentum, fermentum transmutans aut destruens, sub illis occultatum fuisse facilè subodorare licebit. Si verò lotura flavedinem aut nigredinem illis affricet, ejus contentis, Mineralibus nempè, id erit deferendum.

§. 25.

Capillorum, ut Plantarum, diversas offendimus species.

Non omnis fert omnia tellus.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atq; injussa virescunt
Gramina.

(*Virgil. l. 1. Georg.*) Colores, textura & crispitudo hic attendenda. Inde eorum diversitates. Nec sine causa eadem crasi eos præditos suspicamur, qvos eodem colore & textura ornat cæsaries. Veterinariam profitentes id crebra in eqvis experientia edocti (Sympathiam pilorum in eqvis nominat *Th. Bartholin.* (*Cent. 4. Epist. 45. p. 261.*) produnt, si eqvus tussiens in stabulo aliis eqvis sanis ejusdem pili & coloris adjungatur, infici sanos, neutiqvam qvibus dissimilis pilus.

§. 26.

Monstrosæ curiosis sæpiùs occurrunt Plantæ. (*vid. l. 1. de plant. monstr. Exerc. 2. 3. & 4.*) Ita & capilli monstrositatem aliqvando adipiscuntur, ut in Plica Poloncia patet. (Plura, Deo dante, dabimus de hac *l. 3. cit. tr. Exerc. 2.*)

§. 27.

Ut qvælibet planta, etiam amaricans ut Absinthium, suos alit vermes (*Magnif. Noster Argonauta Dn. D. Fehrius Hier. pier. p. 125.*) Ita & Capillis sui sunt acari. *Borellus* (*Cent. 1. obs. 23. p. 29.*) vidit capillos innumeros muliebres animatos, sicq; in corpore, addit, deglutitis pilis transformari possent. §. 28. Nul-

§. 28.

Nulla Terræ ferè pars eſt in qva plantæ capita non exerant ſua. Montium petroſa cacumina, cryptæ ſubterraneæ, marisq; fundus id oppidò declarant. Qvi verò Cutis tàm abjectus eſt locus, in qvo non radicantur pili? Oculus Microſcopio armatus te compellet, noſtro tuum ut adjungas punctum. Toto corpore piloſos producamus Satyros, de qvorum exiſtentia ne dubites, evolvendi *Majolus* (*Tom.1.Colloq.2. p. 81.*) *Schottus* (*l.3.Phyſ.curioſ.c.2. p.396.*) Cujusdam ſale conditi, per Ægyptum Phrygiam & Græciam portati, ac pro ære oſtenſi, mentionem fecit *Helmont.*(*tr. venatio ſcientiarum n.35.p.21.*) Satyri Indici iconem delineat *Tulpius.* Hos verò rationis compotes eſſe declarare cum non audeat *Majolus*, alia ſubſtituimus Exempla. Collegit verò ea *Schottus* (*l.5.c.l.c.15.p.693.*) Barbatam & hirſutam fœminam Hagæ Comitis & Lugduni vidit *P. Schumacherus* (*ap.Th.Barthol. Cent.2. Epiſt.83. p.669.*) Similem hiſtoriam deſcripſit *Riolanus* (*obſ.anat. rar. p.871.*) In Typographo Martino *den Schlaper* totum pectus & abdomen hiſpidum imò & dorſum, ſed præcipuè brachiorum ſuperiora, nec tamen pili illi præſertim in dorſo ad inferiora vergebant, ut ſolenne aliàs, ſed nitebantur omnes verſus ſuperiora; in humeris qvâ brachia exeunt tàm hirſuta omnia, ut penè urſi alicujus armos ſe videre exiſtimaret, in cruribus verò vix pilorum veſtigium deprehendit *Olaus Borrichius* (*ap.cit.Bartholin. Cent.3. Epiſt.97. p.418.*) Eſt mons Climax Æthiopiæ ſecus rubrum mare, qvo fœminæ prolixis barbis degunt (*Kornmann.de mirac. viv. p.94.*) Pilos albos in adoleſcentis pene ſterilitatis indices obſervavit *Borellus* (*Cent. 1. obſ. 11. p. 19.*) ut & mentulam ab ortu in puero hirſutam (*c.l.obſ.58.p.59.*) Qvid? qvod viſceribus aliqvando adnaſcantur Pili. Cor hirtum in qvibusdam apparuiſſe *Schenkius* (*l.2. obſ.med.p.269.*) annotat. Capillos flavos per urinam ejectos vidit *Cardanus* (*Comment.in ſ.4. aph. Hipp.76.*) Referenda huc *Hildani ap.Greg.Horſtium* (*ſ.5. Epiſt.med. p.397.*) obſervatio. Lanam *Wierus* (*l.3. de præſtig.Dæm.c.15.*) Qvid ſint in Urina σαρκία σμικρὰ ἢ ὥσπερ τρίχες apud *Hippocratem* (*ſ.4. aph.76.*) vid. *Vaſſ.erum, Cardanum, Heurnium* (*comment.in h.l.*) *Fernel.* (*l.3. Pathol.c.16.*) *Henric. Martinium* (*Anat. Urin.Galen.Spagyr.c.10.p.216*) & alios. Hoc ſaltem addimus, *Th. Bartholin.*

 (*Cent.*

(*Cent. 4. Epist. 87.*) censet particulam ἢ delendam, qvia & *Hipp.* (*l. de Nat. pueri*) sine disjunctione σαρκία μικρὰ ἰσχάδσα junxit.

§. 29.

Plantæ suas qvodammodo obtinent ætates (*Magnif. Febrius tr. de Scorzoner. qvæst. 6. p. 162. Pluribus id in nostro de Buxo Schediasmate probavimus.*) Qvidni & capilli? In brutis id evidentiùs deprehenditur ac in homine, qvæ ferè qvotannis depilantur, deplumantur ut Aves. In homine unà cum homine senecta præsente fermentum à calore proportionato dum non ampliùs actuatur, canescunt. Canicies illa ut fermenti, ita & solidioris alimenti defectum, attractricisq; torporem arguit. Fibræ porrò radicis, qvæ alimentum aliàs sugunt, duriores evadunt, ut illud ampliùs in tanta copia non admittant. Canescunt inde non aliter ut stramen aut fœnum albescunt. Veritate interim & micat sua illud *Pindari* (*Olymp. od. 4. in fin.*)

φύονται δὲ καὶ νέοις
ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
θαμά, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
ἐοικότα χρόνον.

Nascuntur autem & juvenibus in viris cani crebrò, etiam præter ætatis congruum tempus. Ἐργίνε πολιαὶ, Ergini canities in proverbium abiit. (*Leg. Erasmus Adag. p. m. 633.*) Incanuêre qvidam unicâ nocte, præ metu ingenti, summo frigore capiti inducto. (*Hieron. Jordan. de eo qvod in morb. divin. c. 37. p. 38.*) inde *illud Poëtæ*:

Obstupui, steteruntq; comæ, vox faucibus hæsit.

(*Plura leges ap. Hadr. Jun. comment. d. Coma c. 4. p. 363.*) Nostri. **Die Haare stehn mir gegen Berge.** Historiis qvi delectatur adeat *Schenkium* (*l. 1. obs. med. p. 1.*) *Majolum* (*c. l. Colloq. 4. p. 122.*) *Zeilerum* (*part. 1. Epist. 17. Cent. 4. p. 43.*) *Borellum* (*Cent. 1. obs. 16. p. 32.*) Rara est illa, qvam *Helmont.* (*tr. tumulus Pestis. p. 858.*) communicat, observatio. Qvidam expectans manè Prætorem in suam suppellectilem missum iri, tota nocte sedens mœstus, capite in palmam manus inclinato, manè latus capitis canum habuit, qva parte manum tetigerant tempora. Novi qvi è naufragio præter spem salvi enataverant, repentè canos evasisse, testatur *Hadrian. Junius* (*comment. de Coma c. 10. p. 424.*) Repetit *Erasmus*

Fran-

Francisci Oſt- Weſt-Indiſchen und Sineſiſchen Luſt- und StaatsGarten *part.1.p.7.*) Commemorant alii, addit *Junius*, nonnullos qvi in præruptas rupes aucupii gratia, θήρης μεθέποντες γλυκερὸν πόνον, ut *Nazianzeni* verbis utar, funis ope pervaſerant, ſoluto eo aut delapſo, deſperabundos præproperam canitiem acceſſiviſſe. Alioqvin & amoris flagrans deſiderium *Theocrito* citam canitiem accelerat, qvum canit

οἱ τε ποθεῦντες ἐν ἄματι γηράσκουσιν.

Benè verò in metu & terrore frigus, capillorum nutrimentum vaporoſum intercipiens & radices enormiter lædens, accuſatur. Experimentum notabile invenies apud *Olearium* (*l.3. Itiner. Muſc. Perſic. c.2.p.156.*) In Febribus malignis & aliis morbis non ſolum caneſcunt, (*Ariſt. l.3. hiſt. animal. c.11. p.m. 90.*) ſed & ſideratis ab humoris malignitate radicibus calvitium acceleratur. Dici de his poſſet, qvod tondeantur à Proſerpina, de qva ſuperſtitione *M. Cunradus T. Ramo* (*l. ſingul. de Capillam. c.6. membr.1. n.12. p.107.*) legendus.

§. 30.

Ornamento Terræ ſunt plantæ. Plantas Microcoſmi partibus addidit Sapientiſſimus Conditor, non ut uſum præſtarent, ſed ſaltim ornamentum. Uſum qvi illis tribuunt, qvod ſint partium tegumentum, nullus eſt. Dicant qvæſo cur non omnes eodem tegumento partes bearit Natura, ſiccine infelicior præ brutis erit homo, maximam partem hoc tegumento privatus? Sufficit & homini & brutis tegumenti loco Cutis, adverſus externas injurias firma & conſtans tutela. Non magis reptilia pilis carentia horrent aëris inclementiam, qvàm hirſuta greſſilia. Setæ porcorum qvem calorem ſubminiſtrabunt, qvem Erinacei Echini? Poterat, inqvit Sperlingius (*Zoolog. Phyſ. l.2. c.2. Axiom. 1. p.132.*) Brutum eſſe ſine cornibus, ſine ſqvamis, ſine pennis, ſine pilis, ſine ungvibus. Dantur præterea Catelli absq; pilis, magnatum deliciæ. Avium alas ad volatum facere opponis. Ad piſces Te volantes & veſpertiliones ablego. Si uſum reſpexiſſet potiùs qvàm ornamentum Natura cur in parandis pennis verſicoloribus tàm impigrè laboraſſet.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

(*Ovidius l.3.de Art.amandi v.249.*) Ornamento homini ſunt primariò capilli & Pili, uſum, ſi qvem præſtant brutis, per accidens præſtant.

§. 31.

De ſenſu plantarum alibi. (*L.1.de Plant.monſtr.Exerc.1.ſ.1.& Exerc.6.*) prolixiùs peroravimus. Senſus uti his denegatur, ita & Pilis. Dolor eorundem evulſionem concomitans, aut inſeqvens partium in qvibus radicantur pili, non pilorum eſt. Jocoſum igitur potius qvàm verum Noſtrorum, qvi, à crapula dum capite dolent, referunt, **die Haare thun ihnen weh.**

§. 32.

Tandem qvod non tantùm reſecti, ſed & homine jam fatis functo, adhuc creſcant Capilli, palmariū, qvod eos Vegetabilibus annumerandos eſſe dictitat, eſt argumentum. Imitantur hac in parte Viſcum, qvod arbore putreſcente adhuc luxuriat, aut Muſcum virore ſuo defuncti hoſpitis funus coronantem.

§. 33.

Sit ergò Theſis: *Pilos pennas & Cornua animalium eſſe Vegetabilia. Pilos eſſe &c.*

§. 34.

Ne novā Paradoxa Lectori obtrudere videamur, Antiqvorum venerandâ autoritate noſtrum muniendum erit aſſertum. Radices his tribuit *Hippocrates*, qvod etiam ſuprà notavimus (§.15.) dum (*l.de nat.puer.p.m.195.*) ſeqventia prodidit: Qvi calveſcunt ii ſanè phlegmate redundant, qvod per coïtum in eorum capite agitatum & incaleſcens in ſummam cuticulam illapſum pilorum radices exurit; ita ut pili effluant. Eunuchi autem eam ob cauſam non calveſcunt, qvod neq; vehementius moveantur, neq; phlegma in coïtu incaleſcens pilorum radices exurat. *Galenus* (*l.1. de comp.med.ſec.loc.c.1.*) Pilorum & terra naſcentium eandem eſſe generationem dictitat. Pilus qvid aliud qvàm planta? *Subtilitatum Architecto* (*Exerc.114.ſ.3.p.427.*) pronunciat. De convenientia Plantarum cum pilis *Vidius* (*tr.7. de Microcoſm.p.437. & 444.*) Capillorum defluvium ſimile defronda-

tioni

tioni arborum judicavit *Joh. Tardinus* (*Disqvis. Physiol. de Pilis p. 253.*) Hausit id sine dubio ex *Aristotele*, qvi teste *Junio* (*l. l. c. 11. p. 426.*) id esse aït in homine calvescere, qvod in avibus depennescere, πτεροῤῥυεῖν, in foliis arborum φυλλοῤῥοεῖν. E Recentioribus est *Honoratus Faber*, qvi *tr. de Plantarum & Animalium*, attestantibus id *Ephemeridibus Eruditorum* (*Tom. 2. p. 389.*) *generatione* edidit Parisiis, in qvo Plantarum tres species fecit. Unam earũ qvæ in terra crescunt; Alteram qvæ in ipsis crescunt Plantis, ut muscus; & Tertiam earum, qvæ crescunt in animalibus, ut pili, cornua & plumæ. Optaremus ad manus nobis ille fuisset Autor, & clariori forsan luce splenderet nostri Paradoxi tenor.

§. 35.

Movit id Poëtas pariter ac Oratores, ut arboribus comam, cæsariem, crines, capillos, capillitiũ tribuerent, sylvas dicerent comatas, montes intonsos &c. Loca varia collegerunt *Andr. Senftlebius* (*in not. Philol. ad Phasel. Catull. p. 44. & 45*) *Rango* (*de capillam. c. 5. p. 71. & seq.*)

§. 36.

Privilegio adversus putredinem gaudent qvia sicci, materiaq; gummosæ & glutinosæ sunt progenies. Cum igitur non facilè admittant humiditatem, nec corruptioni facilè cedunt. Norunt id Piscatores & Nautæ, qvi funes & alia utensilia libero Jovi & Neptuno exponenda ex animalium pilis contexta navibus applicant. Loci siccitas mumiæ instar eos servat, qvod capillamenta & alia è capillis confecta demonstrant.

§. 37.

Qvod autem cani in bustis mutati qvoad colorem reperti fuerint, qvale Exemplum supra (§. 7.) allegavimus, id fermento à calore putredinali aut mutato, aut in vigorem pristinum exaltato ascribendum. Ita nonnullis, qvi morbo detenti incanuerunt, morbo confecto pristinus redit calor, colori & fermento vigor suus à Natura qvando restituitur. Contingit etiam, qvod notavit *Aristoteles*, (*l. 3. hist. anim. c. 11. p. 9[illegible].*) qvod canis defluxis, nigri aut alterius coloris enascantur.

§. 38.

Coronidis loco addimus illud *Helmontii* (*tr. Tumulus Pestis p. 857.*)

Capil-

Capillum cadaveris spontanea sensim morte sublati solo attactu calvos facere. Id autem evenire ex seminali imaginatione & notione timoris & repugnantiæ &c. qvam carni & sangvini in habitare in gradu excellentiori astruit.

§. 39.

Nec illa *Borelli* observatio (*Cent.1.obs.10. p.14.*) reticenda. Domina Urbis Torrinensis in Aqvitania vulnus in supercilio passa est, qvod à Chirurgo filo Sericeo crudo consutũ, admovendis admotis, ad curam deductum fuit, tamen filum illud sericeum, parvo post curam tempore, foras emergere visum est, qvod cum ad nimiam accederet longitudinem resectum fuit, sed semper crescens sic per longissimum tempus multoties resectum fuit. Addit *Petrum Duncanum Medicum Montalbanensem*, de eo libellum, qvi tamen non editus, composuisse. Id ut opinor, *pergit*, fieri neqvit, nisi rerum diversarum insitione facultas vegetans jungatur, cibumq; per eas transeuntem sua qvalitate permutet. Demum post relatam puellæ toto corpore hirsutæ historiam (*p.15,*) credit capillorum proventum arte paratum fuisse. Potuit excoriari corpus epipastico qvodam remedio, & posteà serico, cannabi, vel linocrudis tegi, imò fortasse lana recenter avulsa, sicq; crevit imposterum, sicq; posset fieri transplantatio serici in qvadrupedibus, adeò ut sericum verum in cute varia animalia ferrent.

LIBR. I. TIT. II.

De Nasi insititii Sympathia.

Summaria.

P*ινοποιία*. Qvomodo fiat. Nasifices celebriores. Historia de Nobili. Cur nasus putruerit rationes Helmontii, Dygbæi. Discursus Sylvestri Ratray. Probatio per Experimenta. Historiæ veritas in certa. De Magnetismo mumiali. Experimenta examinantur. Biolychnium. Sangvinis hausti noxæ. Problema de Transfusoria.

§.1. In-

§. 1.

INter illa Artis suæ monumenta, qvibus præterito seculo claruêre Chirurgi, non infimum meretur locum Ῥινοποιΐα seu nasi amputati restitutio. Cum enim in naso non minima luceat faciei venustas, (*Galen. l.11. d.U. P. 8. Th.Bartholin.l.3. Anat.Ref.c.19.p.366.*) ejus etiam levis mutilatio summam eidem conciliat turpitudinem. (*Harsdörffer. Spec.hist.c.79. §.17. Elsholz. Anthropom. c.17. p.55.*) Eam igitur ut removerent, suumq; faciei restituerent nitorem, Artem hanc implorarunt.

§. 2.

Fit ea mutilatarum partium restitutio per modum insitionis in arboribus, qvem ablactationẽ vocant (*Vid. Elsholz. l. 4. Horticult. c. 5. §.6. p.189.*) dum aut proximi brachii, aut servi emtitii, caro parti mutilatæ per 40. dies applicatur, usq; dum cum parte mutilata coaluit, postmodumq; in totum ablactatur & abscinditur, nasusq; exinde formatur. Pluribus hanc operationẽ descripsit *Taliacotius* (*tr. de Chirurg.curtor.*) & *Sennertus* (*l.5.Institut.med.p.1. s.1.c.14.p.1062.*) Eodem etiam modo posse fieri auriũ & labiorũ insitionem putavit *Borellus* (*Cent.1. obs.med.phys.10.*) confirmat *Paræus* (*l.22. oper. Chirurg. c.2. p.660.661.*)

§. 3.

Talium Nasificum primus commemoratur *Branca Siculus Cataneus, Chirurgus excellentissimus.* De hoc ita *Calentinus* (*in Epist.*) *ad Orpianum mutilũ: Orpiane* sivis tibi nasum restitui, veni ad me, profectò res apud homines mira. *Branca Siculus, ingenio vir egregio*, didicit nares inserere, qvas vel de brachio reficit, vel de servis mutuatas impingit. Hæc ubi vidi, decrevi ad te scribere, nihil existimans carius esse posse. Qvod si veneris, scito, te domũ, cum grandi qvamvis naso, rediturum esse. Vale. Secutus hunc ejus discipulus *Balthasar Pavonus* etiam Siculus, & postmodũ *Professor & Chirurgus Bononiensis Caspar Tagliacotius*, qvi in reparando tertio naso admirandũ se præstitit. Successit his *Joh. Griffonius*, qvo parario puella nasum abscissũ *teste Hildano* (*Cent.3. obs.31.*) feliciter recuperavit.

§. 4

De naso tali factitio narrat *Autor Thesauri rerum admirandarum*; sibi à viro fide digno, & qvi ejus rei oculatus testis fuit, relatum fuisse, anno 1576 Nobilem Neapolitanum, cui in conflictu nasus amputatus erat, cum servo qvodam contraxisse, ut è brachio suo more in Chirurgia descripto, nasum suum sibi reparari pateretur.

Qvod ubi ex Arte factum esset, accidit, ut triennio post servus ille ægrotare inciperet, simulq; Nobilis ille de dolore Nasi conqvereretur, tandemq; servus planè moreretur. Qvo facto & particula illa nasi è brachio servi Nobilis naso apposita emortua est. Recitat eandem historiā *Helmont.(tr. de magnet. vulner. curat. n 22. p. 598.)* aliis tamen verbis, mutatisq; circumstantiis: Bruxellensis qvidam, scribit, in pugna nasum amisit, adivit Chirurgū Tagliacozzū Bononiæ degentē, ut nasum præstolaretur: & cum incisionē brachii sui timeret bajulum ad hoc conduxit, è cujus brachio tandem nasum dato pretio eruit. Mox tredecim circiter menses à reditu in patriā repentè nasus insititius friguit, & abinde aliqvot diebus putrilagine cecidit. Cujus rei inopinū casum investigantib9 inventū fuit, eodē fortè momento, qvo nasus friguit exspirasse bajulum. Superstites sunt horum testes oculati Bruxellæ.

§. 5.

Observatio hæc multos viros Clarissimos exercuit, ut rationes redderent, cur Cadaveris totius putredo etiam partis illius insititiæ post se traheret corruptionem. *Citatus Helmontius (c. l.)* mumialem allegat magnetismum. Annon est mumiæ magnetismus ille planè consimilis, qværit, qvo nasus vita communi, sensu & facultate vegetativa tot mensibus insitionum jure gaudens repentè trans Alpes mortuus est? *Illustris Dygbæus (orat. de pulv. Sympathet. p. m. 114.)* beneficio atomorum id fieri posse declarat. Alii Spiritus localiter sejunctos spiritualem suam tueri unitatē tradunt. Egrediente enim è putrescente rustici cadavere Spiritu, particulam ejus è naso Nobilis egredi, nasumq; putrescere putant. *(Vid. Straussius Epist. ad Com. Dygb. de pulv. Sympath. p. m. 141.)*

§. 6.

Sylvester Rattay Medicus Scotus (de caus. Sympath. & Antipath. pag. m. 69.) Præsupponit omne compositum constare ex materia, forma & fermento. A materia habet suam qvantitatem & consistentiam, à forma habet qvod vivat & sentiat, luculentius aut obscurius, & à fermento omnes aliæ actiones qvæcunq; dependent, ut & mutationes ad bonum vel malum. His igitur præsuppositis seqventem format discursum: Hinc patet qvomodo affecto sangvine & spiritibus intra venas hominis, fermento icterico vel Melancholico afficiatur Spiritus sangvinis in vitro Hermeticè clauso etiam *(vid. §. 6.)*

mutа-

mutatione coloris inlividum & flavum &c. qvod ſimili modo ab eodem fermento iſte Spiritus afficiatur, qvo afficitur ſangvis invenis licet in maxima diſtantia: & cum iſtud fermentum non posſit produci per ſe intra vitri parietes, oportet illud advehi, unde etiam patet fermentum penetrans vitrum Hermeticè clauſum, dimenſionum legibus non eſſe aſtrictum, qvod etiam patet in Magnete penetrante marmora, ſaxa, montes &c. Secundò, pergit, cum conſtet ex prædictis formas rerum non differre ſpecie aut numero (omnem autem differentiam provenire à fermentis.) & eſſe qvaſi radios formæ univerſalis, qvam demonſtravimus dari, radii autem iſti in centro univerſalis formæ conveniunt & uniuntur. Hinc patet primò radios formarum totius & partis compatientium ſimul convenire, & cum affecto uno eodem modo, afficitur alterum (ſive id ſit totum ſive pars) neq; forma unius per ſe alterius radios ſic permutare poteſt (cum res non alterent ſe per animam, ſed tantùm vivant & ſentiant) Reſtat cum radiis unius formæ fermentum (cum ſit ſpirituale) alterius affecti indiſtans ferri, ut reciprocè colloqvia privata habeant: ut unum aliud benè aut malè afficiat totum, attrahendo ad ſe ægritudinem partis, pars etiam ægritudinem totius, vel illi communicando robur & ſanitatem ſibi ab alio amico præſenti communicatam: licet non ſit utriq; præſens, ſufficit ut vel toti vel parti adhibeatur, & ſic de morbis ab inimico uni vel alteri implantatis dicendum. Prioris exemplum erit, qvod teſtacea ferè omnia procul etiam à mari fluente eo aperiantur, & contra. Alterius exemplum erit de naſo inſititio. Vel ſic, qvia ſigillatur forma rei ab inimico affectæ fermenti ſpecie & imagine: & iſtud ſigillum ſic formæ inuſtum, retinet fermenti & rei ſenſibilis vim & efficaciam: & penetrando radios formæ amici ſigillum in ea ſimile producit, (uti fit in colore, ſapore, figura, motu & cœteris ſignaturis propè conſpectis producentibus in ſubjectis appropriatis & diſpoſitis ſignaturas ſibi ſimiles) Sigillatur primò in rei compatientis Phantaſia & Spiritibus, & ſucceſſivè reliqvis partibus imprimitur. v. g. Suppone brachium hominis Gangræna affectum eſſe, vel ipſum hominem moribundum, de cujus brachio naſus inſititius deſumtus erat, fermentum gangrænoſum & mortiferum, ſigillum ſuum inurit

humoribus, phantasiæ & Spiritibus hominis moribundi, aut gangræna affecti: qvi Spiritus (cum sint uti formæ reliqvorum ex forma universali) sic sigillati in Centro obviant radiis Spiritus partis nempè nasi. & pro modulo sigilli iis prius impressi, sigillant istos Spiritus nasi, & cum totum moritur, moritur etiam pars. *Hactenus Ratray.*

§. 7.

Magnetismum illum mumialem, aut Sympathiam beneficio atomorum conceptam, aut Spirituum unitatem, aut commercium, parùm enim hæc à se invicem distant, si verba, si res expendas, ut probent experimenta dant. Destillant è sangvine hominis spiritum, indunt eundem vitro Hermeticè clauso. Qvoties igitur morbo correptus homo, cujus fuit sangvis, malè habet, toties in Spiritu mutationem deprehendi asserunt. Imò si moriatur, vi spiritus vitrum dissilit, ut scribere non veretur *Staricius* (im Heldenschazz. *part. 2. p. m. 154.*) Alii ajunt experientia compertum esse, addit *Kornmann.* (*part. 5. c. 23.*) Spiritum hunc destillatum ex vino & sangvine mistis incensum, non absistere ardere, donec vivat homo, cujus fuit sangvis, extingvi verò cum morte ejus. Plebeis hoc est experimentum. Si duo homines brachio seu alii corporis parti sibi qvisq; vulnus infligat, eiq; sangvine utriusq; indito, vulnus, donec omninò sanatum sit, benè claudat, tunc puncto loco, cui sangvis immissus est, alterum qvoq; licet in regione valdè dissita degat, illicò etiam dolorem sensurum. Si itaq; homines illi de certo punctionum numero convenissent, qvorum aliqvem denotarent, in uno momento certiores se invicem reddere possent de re aliqva, licet unus degat Parisiis, alter Romæ. (*vid. Ephemerid. Erudit. tom. 2. p. 414.*)

§. 8.

Dum verò celeberrimos viros circa hujus thematis evolutionem occupatos fuisse deprehendimus, optandum etiam esset, ut in historiæ veritatē prius inqvisivissent diligentiùs, anteqvam rei ipsius indagassent rationes & causas. Multa sunt, qvæ, ut de historiæ veritate dubitemus, compellunt. Ipsa narrationis diversitas ex §. 4. patet. *Tagliacozium* operatorem allegat *Helmont*, qvi tamen se in alieno corpore id tentasse nunqvam affirmat (*l. 1. de Chir. curt. c. 18. p. m. 196.*) ipse *S. bottus* (*in Schol. Steganograph. cit. Ephemer. Erud. c. l. p. 415.*) testatur, qvod licet bis in ea fuerit civitate, in qva historia illa accidisse dicatur,

non

non tamen unqvam fuerit ausus, ut certior propterea fieret, qvoniã incolæ, si de ea re sermo haberetur, indignarentur. Ipse verò meram, qvicqvid de eo dicatur fabulã esse credit. Qvod si verò id contigerit, casu contigisse cum *Magno Conringio* (*de Med.Hermet.p.234.*) statuimus, alias emortua & tabescente arbore, etiam surculi alii trunco insiti tabescerent & emorerentur, qvod tamen experientiæ maximè contrarium.

§. 9.

Ad rationes verò dicimus magnetismum illum mumialẽ (qvalis à citatis autoribus allegatur) otiosi Cerebri esse commentũ, è lacunis Paracelsicis haustũ prognatumq;. Paracelsistæ namq;, Fratres Roseæ Crucis, & alii, ut ungvento Armario, & Recentiores, ut pulveri Sympathetico suã servarent autoritatem sartã tectam hoc Paradoxũ tanqvam futilitatũ suarũ asylum excogitarunt. Magnetis hujus actio in distans qvi agere poterit? si aëris injuria sagacissimũ canum odoratũ turbare aut sufflaminare valebit, si olei illitꝰ (ita namq; pro allio legendũ cum *Ampsingio Conjug. Med. & Astron.*) aut parva saltim distantia Magnetis notissimã qvalitatẽ attractricẽ impediet. Dicant lucem vehere Atomos, dicant id patrare formã universi. Obscurum per æqvè obscurũ probant. Qvot Atomorum myriades in utero suo gestabit illa forma, lux illa, qvomodò accuratè eas discernet, ne Chaos constituant? qvot motꝰ uno momento contrarios forma illa sustinebit, ut mutuꝰ rerũ continuetur affectꝰ, amicaq; compellatione in longos prorogetur annos? Planta juxta Plantã putrecescens aliã sanè, nisi mutuus succedat contactus, beneficio harum atomorũ inficere neqvit, nec vivida atomorũ virtute marcescentem à tabe tueri. Qvid ergò in distans actio operetur cuiq; conjecturari in promtu erit.

§. 10.

Experimenta allata primò aspectu qvidẽ plausibilia videntur, nulla tamen ad veritatis cynosurã reducta. Primũ experimentũ pharmacopœus ridebit. Experientia namq; didicit Spiritũ sangvinis humani, è cruore sani & robusti hominis ritè præparatũ, si in loco servetur temperato, ad multos años eundẽ servare colorẽ, & saporẽ, sive benè sive malè sit illi cui detractꝰ fuit sangvis, personæ. Imò qvamvis moriatur nihil detrahi pelluciditati Spirituũ. Oggeris alia experimenta de qvibus nemo sanus dubitare poterit. Ita Cerevisia ex malta turbatur, dũ hordeum floret. (*Helmont.tr.vis Magnet.p.488. Strauss.c.l.p.137.*)

vinum florentibus vitibus in doliis commoveri, turbari, fecemq; vini florem dictam spumare *Petrus Servius* (*tr. de Ungv. Armar.*) *Dygbaus* (*c. l. p. 103.*) *Sachsius* (*l. 2. Ampelogr. s. 6. membr. 1. c. 3. p. 172.*) cum aliis notarunt. Ita refert citatus *Servius* (*c. l.*) ex Aristotele & Theophrasto, ursorum adipem latebrarum tempore exundantem & intumescentem vasa implere. Sed hæc nos minimè urgent. Turbatio illa vini & cerevisiæ non à causis externis, Atomis in aëre luxuriantibus, dependet, sed ab internis, fermento nempè seu particulis heterogeneis, in illis in se invicē ad tempus à Natura præscriptum agentibus. Idem de ursi pingvedine sit judicium.

§. 11.

Qvid verò ad Biolychnium? Ridiculum sanè est, nec temerè cui persvadebitur (*Conring. l. de calid. innat. c. 15.*) Ejusdem notæ est cum eo Chymicorum figmento, qvo carbones juniperi per annum integrum incorruptum ignem servare fabulantur (*Scaliger. Exerc. 328. p. 1055.*) Qvod *Helmont.* (*tr. Complex. atq; mistion. Elemental. figm. n. 13. p. 86.*) de carbone vase clauso tosto refert, ab eo his nullum propugnaculum, cum effluvium liberum illis concedant. Sed ad rem. Cur Spiritus sangvinis humani ignis eludat violentiam dicant qvæso? Experimentum fidem detrahet experimento, si ad experientiæ tribunal res deferatur. Si totus homo reduceretur in spiritum, illud qvod in eo φλόγιστον parvo momentorum spacio parva consumet flamma, comprimis si cum spiritu vini conjungatur. Non addam spiritum illum non esse spiritum seu auram vitalem invenis fluctuantem, sed vi fermentationis suscitatum, ignis verò virtute paratum, adeoq; non tàm Naturæ qvam Artis & Ignis productum. Attendas igitur qvod spiritus ille balsaminus in sangvine spiritui ardenti in vegetabilibus sit analogus, qvia oleosus, siccusq; sangvis in igne ut lardum flagret, ut rectè censuit *acutissimus Becherus* (*l. 1. Phys. subterr. s. 5. c. 1. n. 20. p. 308.*) Ad vulgi verò experimentum loco rationis sibilus sufficiet. Cruor vulnusculo immissus tantùm abest ut attrahatur à fibris, ut potiùs in pus abeat corrumpaturq;. Unde ergò reciprocus affectus? unde insensibilis illa conspiratio? Plura apud *Samuel. Pomar.* (*tr. de Cons. & dissens. Corp. nat. Dup. 9. c. 5. art. post. §. 9. p. 268.*)

§. 12. Qvod

§. 12.

Qvod verò *Vir Clarissimus* svadet: Potius haustu excipiat alter sangvinem alterius, abominando & barbaro potus genere, & largiat aliqvid libentiùs, in eo nobis non satisfacit.

Nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sangvis mansvescere fauces.

Biliosus ab ira præsertim epotus mentem commovet & furorem parit. (*Alex. Benedict. l. 1. de morb. cur. c. 28. p. 44.*) Rufi venenum esse tradidêre passim (*Zacut. l. 1. hist. med. princ. 23. p. 41.*) Cur venenis addatur habet *Ezlerus* (*Isagog. c. 1. p. 9.*) Philtra è sangvine humano parata id evidenter probant. Et qvamvis referat *Celsus* (*l. 1. de re med. c. 34.*) qvosdam sangvinis humani potu à Caduco liberatos, & eundem etiam recommendent *Zacutus* (*c. l.*) *D. Friedr. Hofmann.* (*l. 2. M. M. c. 17. p. 282.*) cum aliis, tamen addit *Celsus*: Verùm apud eos miserum auxilium tolerabile malum miserius fecit. Inde eo non esse utendum in Medicina olim monebat *Alex. Benedictus* (*tr. de Pest. c. 9.*) & medicamenta è sangvine humano facta suspectissima erant *Nobiliss. Dn. D. Christ. Langio Praeceptori olim nostro fidelissimo* (*Diss. & morbill. addit. 8.*) non solùm ob causas prædictas, sed & qvia cum corporis vitiis morum malitia sic transplantatur inevitabiliter. Contrarium juxtim docent Exempla *à citato Autore Dn. Pomario* allata, comprimis illud de Uxore Marci Antonini Philosophi Imperatoris, qvæ sangvine athletæ, qvem deperibat, hausto, oppidò amorem deposuit. Hinc de Conjugum & fratrum dissidentium beneficio Transfusoriæ conciliatione nihil certi affirmare audet *Nobilissimus Elsholzius* (*Clysmat. nov. c. 10. p. 59.*) Tandem ut ut sine noxa cruor ille hauriatur, & coctionum beneficio corpori nostro assimiletur, Philtrum etiam illud effectum præstet suum, modum scire vellem, qvomodo sejuncti corpore conspirare, affectuumq; notitiam unus alteri intimare posset. Infans in utero materno sit Exemplo. Iste qvamvis materno nutriatur sangvine, maternoq; corpori adjunctus adhuc sit, & Philtro isto per aliqvot menses fruatur, tamen separatus à matre suiq; juris factus affectum qvidem non deponit, suas tamen calamitates eo modo, qvo diximus, matri communicare nec valet nec potest.

§. 13. Du-

§. 13.

Dubium tandem illud de transfusiva Chirurgia erit expediendum, qvod *Excell. Dn. D. Sigism. Rupertus Sulzbergerus (in Programm. Lipf. d. 11. Mart. 1669. cum Clarissimo Dn. D. Salomoni Eichlero t. t. Competitori & Fautori meo colendo Licentia in Arte nostra conferebatur P. P.)* & cum eo *Clarissimus Dn. D. Fr. Hofmann. (l. 1. M. M. c. 10. p. 128.)* movent, dum scribunt: Qværeret aliqvis, annon transfusus hoc modo sangvis internecione corriperetur, ubi animal cujus sangvis est, morti traditur; qvo qvidem modo ascititius aliàs nasus, emortuo illo, ex cujus brachio excisus fuit, putrescit ac decidit. Id verò tanti non est, ut nobilem hanc operationem de nobilitate dejiciat suâ. Præsupponimus namq; ut *in literis ad Nobiliss. Dn. D. Majorem* fecimus (*Ejus insus. part. 1. p. 103. §. 9.*) & eandem nobiscum inflat tibiam primus hujus operationis inventor (qvamvis ad eandem ante hunc viam monstrasse *citatum Dn. Majorem* dici posset, dum (*in prodrom. Chir. inf. §. 44.*) muris sangvinem vino mistum Catti domestici venis instillare sibi proposuerat, *Excell. Richardus Lovver (tr. de Corde c. 4. p. 190.)* sangvinem non putrilagine scatere, suumq; viscera consvetum servare tonũ, & tunc sangvinem transfusum, qvamvis mortuum animal putredinis fiat rapina, ab omni instantis putredinis suspicione absolvimus. Qvantoperè allegatæ historiæ fides vacillet prælibata (§. 8.) satis superq; dictitant. Et qvamvis justus historiæ stet veritatis tenor, tamen à carne ad sangvinem non procedit argumentatio. Caro namq; carni juncta suam servat mumiam & crasin, non aliter ut surculus trunco insitus, qvamvis succedente tempore aliqvo modo ea temperetur & alteretur ad nutrimenti qvalitatem. Sangvis verò venis infusus sangvis non manet, & cum, si *Botallo* credimus (*l. de cur. per sangv. miss. c. 28. & 33.*) singulis qvibusq; diebus libra una Sangvinis alitioni animalis necessaria generetur, aut 7. vel 10. saltem unciæ qvæ *Helmontii* est conjectura (*tr. imago fermenti impregnat massam semine n. 4. p. 91.*) sangvis iste sangvini juvenis fluctuanti miscetur, & demum sub accretione adolescentiæ aut assimilatur partibus, aut membris perfectis sub roris specie eadem à siccitate, membrorum senecta, tuetur, & tandem imperceptibiliter per cutis poros, ut *idem* loqvitur (*l. c.*) transvolat. Fœtus in Utero historiam hic iterum in mentem revocamus, cum in eo transfusi-

[illegible]sivæ genium nobis appositè depinxerit Natura. Qvi fit qvod matre fato functa fœtus etiam utero adhuc conclusus fati non obtemperare cogatur sævitiæ? Hausit ille beneficio naturalis transfusionis per vasa umbilicalia sangvinem maternum per aliqvot, cumprimis dum plant-animalis vitam vixit, menses, & tamen sangvis ille cum materno putrescente Symbolicè non communicat. Symbolum namq; sangvinis materni fœtu emancipato deposuit, nec amplius matris, sed fœtus, sangvis vocabitur. Et qvid opus erit pluribus rationibus cum operationes curiositatis gratia in Anglia & alibi feliciter institutæ (*vid. Ephemerid. Erudit. Tom. 2. p. [illegible] Ettmüll. c. l. c. [illegible] p. [illegible] & Jos. Torrer c. l.*) rem aliter se habere testentur.

LIBR. I. TIT. III.

De Cadaveribus porcorum mandentium instar in cryptis Sonantibus vulgò Schmezzende Tode.

Summaria.

VAni circa Sepulchra sonus & Strepitus. Tempore cumprimis Pestis. Schmezzende Tode. Historiæ. Prognosticon vulgi. Remedium ejusdem. Nummi cur ori mortuorũ indantur. Mortuus seipsum non mordet. Striges aves. An lac & sangvinem appetant. Historia Bartholini explicatur. Infantibus noctu cur papillæ tumeant. Plicæ Polonicæ Causa fabulosa. Judgen. Lac spurium. Suctio papillarum nocturna unde. Striges cadavera non sugere. Nec Hyænam mordere. Judæorum Azazel. Mus Judaicus. Mahomedanorum Moncar & Nacir. Serpentes XCIX eorundem. Vespillones an in Causâ. Dæmonium Euryonium. Diabolus cur assèclis vera Causa. Ejus tempore pestis potestas. Lamiæ cur demortuorum carnem appetant. Corda vivorum devorantes in Persia. Cor victimis cui aliqvando defuerit. Qvædam de Fascino. Causæ Theologicæ Diabolum moventes. Cur

ſub perſona mulierum. Cauſæ phyſicæ. Terror cauſa peſtis. Sepulchrorum apertionem eſſe noxiam. Remedium examinatur. Catechanæ Cretenſium. Rejicitur remedium ob Cauſas Phyſicas. Subjunguntur Politicæ. Sepulchra non eſſe violanda. Sepulchris qvi privandi. Qvædam è Theologis. Hiſtoria de Sagis. Examinatur.

§. 1.

NOvum & inauditum planè non eſt ſonos inconditos audiri circa feretra & ſepulchra. Ad ſepulchrum Eliſæi, Johannis Baptiſtæ & Abdiæ rugire conſveviſſe Dæmones *Hieronymi* teſtimonio (*ad Euſtach. de vit. Paulæ*) conſtat. Sylveſtri II Pontificis oſſa in arca ſepulchrali crepitaſſe annotavit *Simonetta* (*l. 5. c. 16.*) Valentini hæreticorum defenſoris cadaver dæmones fremente cum ſtrepitu ſacro ſepulchri loco noctu extraxiſſe [illegible] refert. Tonum pulſantis in Sutoris tumulo anno 1605 [illegible] *mann.* (*Hodoget. peſtilent. q. 14. p. 125.*) & nos aliqvando cum anno Martisburgi, dum Romano-Catholicæ fidei addictus conderetur, hic hauſimus.

§. 2.

Comprimis vero aut præſentis aut imminentis peſtis tempore ſonos hos eſſe familiares, qvis eſt qvi non novit? Non tantum in Cœmiteriis tunc temporis

Sun [illegible]

Venit [illegible] *Merlin.*)

& [illegible]

Dann [illegible] (*Mél. l. 2. Tibald.*)

flebilem edit vocem ſed & verba in morem ejulantium profuſa paſſim in Cœmiteriis imò & urbibus aures mordent & [illegible] Necromanticis hos ſonos [illegible] *c. 7. p.* [illegible] Has de ſe deridendum propinaſſet, niſi [illegible] xiſſet [illegible] & voces [illegible] Dum enim iram Dei prædicentur, & de futuro hominum exitio gaudent: tales, inqvit, aliqvando ſonos edunt ut ipſos homines noctu terrent, qvales ſe ante peſtem Miſnenſem audiviſſe *idem* teſtatur.

Noſtris

Nostris dicuntur die Wehklagen/ infantumq; non baptizatorum animas esse, rudes Monasteriorum incolæ, olim plebi credulæ persvadere non erubuerunt.

§. 3.

Magis verò animum tenet suspensum, si morbo grassante exitiali mortui interdum, præsertim seqvioris sexus, vestes suas ferales seu amicula allambant, cum claro sonitu porcorum mandentium ad instar (inde vulgò Schmetzende Tode) ea sugant, & qvantum ore possunt attingere devorent (*Kornmann. c. l. p. [illegible]*)

§. 4.

Historiæ sunt in promtu. Accidit id in pago qvodam tempore Lutheri, prout ad illum scripsit *M. Georg. Rörerus* (*vid. Tischreden. Tit. 24.* [illegible]) Anno 1551 in pagis circa Freiburgum Hermsdorff/ Clausnitz/ Dittersbach (*[illegible] Freiberg. p. [illegible]*) Anno 1553 in Silesia (*[illegible]*) Sangerhusii anno 1565. (*vid. M. Henric. Roth. [illegible]* von Schmetzenden Toden) Martisburgi demum (*ut è D. Adami Rotheri [illegible] patet.*) Plura dabit *Kornmann.* (*[illegible] de mirac. mort. [illegible]*)

§. 5.

Horribili [illegible] præsago sono est qvod inde vulgus sumit prognosticon. Ea mentem hujus fascinavit persvasio, contagium dato hoc signo non solùm diu duraturum, sed & majori tyrannide corpora viventium invasurum, Charontem ut eò magis fatiget. Qvid qvod ab eodem sanguine nati ob hanc causam pro conclamatis veniant reputandi. Sie prophezeien es werde der Tode die nächsten Anverwandten und Freunde nachholen.

§. 6.

Ut ergo à violentia sibi temperet malum, fulmenq; avertant præsentissimum in ipso superstitionis, ne gravius qvid dicam, fundo [illegible] decernunt. Tumba sepulchrali aperta vestes ferales à mortuo deglutitas faucibus vi eripiunt, bipalioq; caput devoranti abscindunt, qvo tandem finita illa suctione & carnis præ[illegible] finiatur & ipsum contagium.

§. 7.

Resp. Siccine dabitur prophylacticum, cujus bonitas & so-

num iſtum ſufflaminet, inq; propria membra cohibeat truculentiam? Præſtò eſt. Mento gleba ſuppoſita id præcavet feliciſſime. Aliud ejusdem bonitatis alibi celebrat vulgi ſuperſtitio. Mortuo [illegible] usqvam os claudatur lapidem & nummum ponunt in ore, ut [illegible] pulchro mordere incipiat, lapidem & nummum inveniat & [illegible] ferietur. In Saxonia id pluribus in locis factum ſuo tempore [illegible] *hagius* (*l. 4. [illegible] peregr.* [illegible]) retulit. Qvam bene verò tales [illegible] corum premunt veſtigia, qvi Danacen (δανάκην) [illegible] tuorum ori indebant, Charonti illud ut ſolverent ſtygiam [illegible] miſſuri paludem ut e *Strabone Cœlius Rhodiginus* (*Lec.* [illegible]) [illegible] Judæis id etiam olim in more poſitum. Inde teſtatur *Kornmann* [illegible] horum capita inveniri effoſſa, qvæ ante aliqvot centum annos [illegible] pulta, aureum nummum in ore habentia.

§. 8.

Cauſam hujus ſoni & morſus in mortuo qvi qværit, etiam illud expendat: Νεκρὸς ὀ δάκνει. Mortuus non mordet. Ein todter [illegible] (Menſch) beiſt nicht. Ceſſante animæ cum corpore commercio & actiones ceſſabunt vitales. Loqvimur de verè mortuis, non de Epilepticis aut Ecſtaticis. Hos namq; aliqvando tale miraculum patrare poſſe, ut credamus *Baronius* (*Tom.* [illegible]) & *Kornmann.* (*part.* [illegible]) perſuadet narratione de Zenone comitiali morbo correpto & pro mortuo ſepulto qvi præ fame ſuos ipſe lacertos manderat, & caligas qvas geſtabat.

§. [illegible]

Ad alias cauſas igitur recurrentibus Striges ex Avium genere neſcio qvo fato nos ſalutare [illegible] occurrit. An igitur hujus [illegible] paculi ſint patratores inqvirendum. Striges & Caprimulgi dicuntur, qvod Capras roſtri beneficio lacte emungant. Noctu etiam eodem Nutricum & infantum papillas cum ſumma moleſtia ſollicitare, imò & ſangvine humano gaudere narratur. Inde [illegible] Striges nuncupat *Plautus* (*in Pseudolo, act. 3. ſc. 2.*) ubi

[illegible]

Vid. Turnebus (*in* [illegible]) Optimum harum [illegible] (*l. 6. Faſtor.*)

[illegible]

Sunt avidæ volucres, non qvæ Phineia mensis
Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt.
Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapina,
Canities pennis, ungvibus hamus inest.
Nocte volant puerosq; petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera matris,
Et plenum poto sangvine guttur habent.
Est illis strigibus nomen, sed nominis hujus
Causa, qvod horrenda stridere nocte solent.

§. 10.

Has aves dari ut cum *Schwenckfeldio* nulli dubitamus (*Theriotroph. Sil. p. [illegible]*) ita qvod hæ Capris infantibus sangvinem clam subtrahant cum eodem negamus (*vid. p. [illegible]*) qvod experientia utraq; destituatur assertio. Audiendus erit *Plinius* (*l. 11. c. 29.*) Fabulosum arbitror striges ubera infantium labris immulgere: nec qvæ sit avium constare.

§. 11.

[illegible] qvod infantes spectat historiam illam *Th. Bartholini* (*Cent. 1. hist. anat. [illegible]*) qvæ ita habet: Tres infantes Pastoris Fionensis Lykisholmi in cubiculo consveto dormientes insveto ploratu & inqvietie non ita pridem turbabantur, qvod se mulgeri a qvodam sentirent. Puerorum suspicionem firmarunt papillæ diligentius a parentibus tractatæ, qvæ lactantis fœminæ in morem emulgebant. Ad averruncandum fascinum hoc alexipharmacis amarisq; illitæ fuere papillæ. Hinc umbilicus illorum tam vehementi suctione attrahebatur, ut non tantum manifeste promineret, sed & oris sugentis magnitudinem impressio velut vestigio monstraret. Sit ita, qvomodo vero conclave clausum poterunt intrare Striges, cur earundem præsentiam nemo animadvertit? Suctio non, reponis, factam manifeste evincit papillarum & umbilici prominentia. Verum cur ista suctio infantes tangeret somniq; interrupit profunditatem, aliæ causæ tam præternaturales qvam natu-

naturales sunt in promtu. Illæ possunt esse veneficia. Si namque qvod e [illegible] refert Jordanus ([illegible]) venæ infantum acu, ungve, aut alio modo Dæmonis ope apertæ deprehenduntur, qvod constat ex parvis cicatricibus relictis, & interdum post Cattorum apparentium fugam guttis sangvineis propè pueros ejulantes remanentibus, cur non & veneficium suctionem hanc procurare posset. Naturale qvid subesse [illegible] p. 314.) dudum subodoratus est. Deprehendit ille Lactis vestigia in tenellis esse pus album, qvod sæpè ex pustulis minutis papillarum exprimitur. Damus id [illegible] facilius, qvia & nos in recens natorū papillis aliqvot humoris albicantis guttulas fluere conspeximus. Exprimitur ille humor fœmellis tantùm ab obstetricibus, masculis verò ut exprimant nescio, ob qvam superstitionem adigi neqveunt. Qvod si igitur humor ille in papillis relictus [illegible] peccet, inflammationem & tumorem parit, ut sæpe talem [illegible] progressum hariolens. Dolor inde exortus [illegible] in somnis vagitum vagitu cumulat, aliqvando ut [illegible] humor ferociens [illegible] gravius molestia hanc obstetricum superstitionem expiare cogitur tenellus. Qvæ umbilicum prominere faciunt, sunt vagitus & flatus.

§. XI.

Hæc dum consideramus Cattum plicæ Polonicæ ex [illegible] in mentem nobis non sine causa revocamus. Credunt vulgò Spectra nocturna (nostris die Jungen.) capillos sugere, atq; sputo [illegible] qvam glutine capillos ita conglutinari. Inde tricæ Incuborum Mahrenflechten & Schrötlingszöpffe vocantur, [illegible] p. m. 8.) Qvod dum facimus historiam memorabilem [illegible] stituti ratio urget. Paucis ab hinc annis in viciniis ancilla qvædam Uterum gestare credebatur. Dum igitur forte fortuna [illegible] catus reperitur, illam uteri onus clam deposuisse & suffocasse [illegible] talit. Re ad Justitiæ Præfectum delata, carceri includitur. [illegible] præfractè negans Obstetricibus committitur. Hæ [illegible] comprimis à Lactis in mammis [illegible] eam uterum clam deposuisse unanimiter concludunt. Qvid illa? Convictam qvam putabant aliud desperatæ causæ invenit asylum. Plicas Capillorum monstrabat,

& i

& à *Spectro nocturno* mammas sibi sugi regerebat, qvæ suctio Lactis præsentiam causaretur. **Sie wendete ein/ sie hätte die Jüngen/ die durch nächtliches Brustesaugen die Milch zu wege brächten.** Tortori oblata pronunciato tenax tandem absolvebatur.

§. 13.

Sanè si rem rectè expendamus, uteriq; cum mammis consensum attendamus, in retentione menstruorum & Plica Polonica inde orta talem humorem in mammis colligi posse penitus negandum non est. Humor iste [illegible] motivo motus mammas cogit intumescere, & in somno nerveos papillarum titillat colliculos, ut veram suctionem, non aliter ut in Ephialte à Spectro pressuram, pati sibi falso imaginentur. Non fugit id *divinum nostrum Senem*, qui humorem illum albicantem Lac vocavit (*[illegible]*) non secus [illegible] (*[illegible]*) [illegible].

§. 14.

Sed ad rem. Strigibus minimè iste in cryptis feralibus sonus erit imputandus. Sugunt enim, si fabula vera est, & qvidem placidè [illegible] strepitu. Sugunt, inqvam, papillas non vestes ferales, non [illegible]. Sugunt [illegible], non mandunt, nec carne vescuntur Cadaverum. Paucis, vivos lædunt, non mortuos. Soli expositos, non solo obrutos.

§. 15.

Hyænæ verò id ut adscribamus [illegible] urget, qvia non huic, ut aliis feris, animalia sunt præda, sed crudeliter cadaveribus, ut loqvitur *[illegible]* idem testatur *[illegible]* ita de ea: Illa sepulchra suffodit, extrahitq; cadavera, portatq; ad suam speluncam, juxta qvam videre est ingentem cumulum ossium humanorum [illegible] & reliqvorum omne genus animalium. Inde & Turcas graves lapides sepulchris scribit injicere, ut ab hujus ut & canum & luporum [illegible] cadavera tutiora sint. Cum verò singulare id contingat in regionibus in qvibus nullæ hyænæ habitant, [illegible] sepulchris certa tantum corporis pars lædatur, & ipsum cadaver ferales [illegible] edat, hyænæ truculentiæ hic non immeritò abjudicatur.

§. 16. Fa-

§. 16

[illegible] est Judæorum Serpens Azazel. Ut explicent [illegible] *Genesin (c. 3. v. 14.)* Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, & [illegible] *Esaiæ (c. 65. v. 25.)* pulvis panis tuus, corpus humanum [illegible] qvod Terræ suam debet originem ab illo serpente rodi & [illegible] tradidêre Rabbini. *Vid. Dn. D. [illegible] ([illegible]) [illegible] (præfat. [illegible])*

§. 17.

Ejusdem farinæ est ovis ille Judaicus, qvem Cadaver [illegible] Terræ concreditum tam crudeliter mordere asserunt, ut etiam [illegible] mare, (risum teneatis amici) cogatur. *Ita [illegible] atq. Columna Magnificum [illegible] ([illegible]) [illegible] Margarita.* Scissione vestimenti super sepulchro facta [illegible] magno cum strepitu & vociferatione è Cœmiterio diffugiunt, ne [illegible] thiferum defuncti audiant clamorem, qvem tersi [illegible] re pares ad morsus edere creditur, & qvi [illegible] diem mori itidem cogatur [illegible]

§. 18.

Ab his deliriis, ut [illegible] adoptro [illegible] multùm Mahomedani [illegible], qvi duos Angelos nigros atq; [illegible] Moncar & Nacir dicunt cadaveri adesse post Sepulturam, ut defunctum in Sepulchro [illegible] sedere jussum interrogent (unde non [illegible] ra tegunt Sepulchra [illegible] nulla interjecta terra, ut modo [illegible] ne accusante & rationem vitæ à mortuo exigente, defendente [illegible] bono genio locus sit ubi mortuus sedere, & se causæ [illegible] cenisse possit erigere *(vid. [illegible])* qvid crediderit qvid de Mahomede senserit? Si rectè responderit suaviter obdormire jubeant [illegible] minus gravibus crucient malleorum ferreorum ictibus inter [illegible] impressis, adeò ut clamorem audiant qvotqvot inter Orientem [illegible] & Occidentem præter homines & genios, ut hæc refert [illegible] *([illegible] p. 243. seq.)*

§. 19.

Ita narrant XCIX. Serpentes qvarum [illegible] unicuiq; infideli in pœnam in sepulchrum [illegible] eundemq; illic mordere ut [illegible] *([illegible] p. 244.)*

§. 20. Nec

§. 20.

Nec majore veritate lucet illa vulgi fabula, qvæ vespillonibus hujus mali causam ascribit. Nempè si prono vultu cadavera sepulchris inferant, capillos ori defuncti indant, nec mento glebam supponant.

§. 21.

Patavii [illegible] referente Bodino, (*l. 2. Dæmonom. c.6. p.m.262.*) peculiare Dæmonium longis & prominulis dentibus, corpore livido ac cadaveroso formidabile, pelle vulpina vestitum, qvod Euryonium dixerunt, (*vid. Kornmann. part. 2. c. 51.*) corpora humata depascere prodidit. Illud etiam nec vivis unà cum mortuis contumulatis parcere, eosq; lædere historia de duobus amicis Asuito & Asmundo (si, qvod veremur, non est fabula,) *apud Kornmannum* (*c. l.*) satis confirmat.

§. 22.

Ita qvidem se res habet. Nihil hic Natura. Omne qvod hic patratur, in malum Dæmonem ejusq; instrumenta & manus, Lamias transferendum. Ille est Hyæna, asseclæ Striges. Ille Azazel, ille mus Judaicus, ille Angelus lividus, ille spectrum Euryonium, Serpentes venefici. Inde corporum princeps Cabbalistis dicitur Sathanas (*Kornmann. præf. in part. 2. de mirac. mort.*) nevè nimiopere suam exerceat tyrannidem. Cœmiteria pia Antiqvitas consecrasse legitur. (*Id. part. 7. c. 7.*) Optimè proinde *B. Lutherus* (*c. l. f. 211. b.*) **Das ist des Teufels Betrügerei und Boßheit.** Et paulò post (*f. 212. a.*) **Es ist des Teufels Gespenst.** Ille sonat, crepat, lambit, mordet in sepulchris sub personâ mortuorum, ut nobiscum *Stelnerus* (*c. l. p. 121.*)

§. 23.

Magna verò comprimis tempore pestis Dæmonis est potestas, qvia tunc ut loqvitur *B. Lutherus* (*c. l. f. [illegible]*) est Dei carnifex. Qvocircà non tantùm pestem totum orbem devastantem, qvalis illa Ægyptiorum Anno Christi 544, de qva *Rhodiginus* (*l. 2. lect. antiq. c. 6. [illegible]*) *Kircherus* (*Chronol. pest. celebr. p. [illegible]*) & alii excitare potest, sed variis terriculamentis in generis humani perniciem eandem propagare satagit.

§. 24.

Qvi verò Dodonam in proprio extruunt Corde Magi & Lamiæ

E pari-

pariter solertes se in hoc casu præstant. Quantoperè demortuorum carnem appetant historiæ loquuntur. Illam cibi loco mandere gestiunt, & ut his deliciis impunè frui liceat in canes & lupos libenter transmutantur (*vid. Bodin.* [illegible] *passim.*) noctu circa Sepulchra versantur (inde Bustuariæ nuncupatæ *[illegible]*) furca suspensis parcunt Hyenæ crudelissimæ. Tenellorum cruorem maximoperè sitiunt, & carnem tanqvam Asiaticas popinationes desiderant palatui ut satisfaciant. Nec hanc tantum ob causam, sed & ut materia ipsis sit unde veneficia parent. Ungventum Magicum *à Porta (l. 2. Mag. nat.* [illegible]*)* ingreditur pingvedinis pueri magna qvantitas, sangvinis humani copiam pabulo non raro admiscent. Hinc

Nec cessant à cæde manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto;
Nec refugit cædes, vivum si sacra cruorem
Extaq; funereæ poscunt trepidantia mensæ:
Vulnere si ventris, non quà natura vocabat,
Extrahitur partus calidis ponendus in aris.

Et cum efficacior caro cadaverum bestiis carnivoris ereptum credatur Erichto apud *Lucanum (l. 6. Pharsal.)*

Ante feras volucresq; sedet; nec carpere membra
Vult ferro, manibusq; suis, morsusq; luporum
Expectat siccis raptura è faucibus artus.

§. 25.

Objicis. Qvi illæsis cryptis nullo id advertente Magi [illegible] stare poterunt? veneficio præstigioso non tantum eos somno [illegible] conciliare, sed & particulam carnis exinde, ut ut Sepulchrum [illegible] aperiatur aut crypta lædatur feralis, [illegible] regerunt. Rideo [illegible] meritò eqvidem. Qvid in vivis possint historia ista apud [illegible] *Candronchium (l. 2. de morb. venef.* [illegible]*)* probat de nobili fœmina, [illegible] fœtum ventrem saltem blandè contrectando venefica [illegible] cavit, qvem in frusta comminutum postmodum [illegible] insuper memorabilem observationem à *[illegible]* communicatam, & ab eo ex Italico in Romanum translatam [illegible]. Descripsit illam *diligentissimo* [illegible]

[illegible]

[illegible] Epist. [illegible] Gombrun d. 29. Novembr. 1622. scripta p. [illegible].) Corda hominibus devorare & tali modo ipsos ad mortem deducere non est res nova & inaudita. Nam & olim in Illyrico & apud Triballos inventi fuere multi, qvi hoc præstarent, sicut legimus *apud Aulum Gellium*. Nec hodiè res insolita hic (in Persia) & præcipuè inter Arabes qvi habitant circa sinum Persicum ad littus ejus Occidentale est res maximè familiaris. Et fit, ut Veneficæ, qvando volunt devorare Cor hominis ipsum per longum temporis spacium fixis aspiciunt oculis murmurantes aliqvot Diabolica verba, cujus incantationis vi, aut operâ Diaboli faciunt, ut illa Persona licet sana sit & benè constituta statim incidat in ignotum & incurabilem morbum, instar hectici brevi consumatur & moriatur. Et interdum ita citò faciunt hanc operationem, ut illum, cui cor devorarunt (nam & in hoc artem exercent, ut aut totum aut partem devorent, hoc est statim consumant aut ejus partes vel citò vel paulatim moriatur) sæpè inter paucos dies obeat. Vocant hanc artem rustici *[illegible]* devorare Cor, qvia credunt, qvod Diabolus Veneficis faciat apparere & repræsentare invisibiliter, qvando proferunt spurca illa verba vigore illius incantamenti, Cor & interiora ægri exeant è corpore, qvæ illæ comedant. In qvo opere affirmant inveniri saporem suavissimum, & tantum, ut sæpius absq; prævia ulla inimicitia tali modo innocentes perimant, & ipsis conjunctissimos, qvia dicunt qvod illorum corda qvæ appetunt, ipsorum palato sint cibi sapidissimi.

§. 26.

Refert idem *[illegible]* Fratrem Sebastianum [illegible] Augustinianum Lusitanum hominem optimè fidei se oculatum exhibuisse testem, qvod cum in confinibus Arabiæ Felicis vidisset Arabem captum hujus nominis reum, qvi cum a Gubernatore loci Lusitano (qvod in Mascàt aut in Ormus fuerit) interrogatus fuisset, an si [illegible] præsumeret se posse interiora viscera & cor hominis devorare, etiam posset ex ingenti Cucumere absq; illius dissectione interiora vorare, respondit qvod optimè posset. Adducto igitur Cucumere in præsentia Gubernatoris diu ipsum aspexit murmurans incantationes, post dicens jam totum esse absum-

E 2 tum,

tum. & reverà apertum Cucumerem totum inventum fuisse [illegible] *[illegible]*. Naturales causas idem præstare aliquando [illegible] tum genus monstraret quô qui tanguntur ablumvis [illegible] ribus moriuntur. Ne dubites ad testes oculatos provocat [illegible] *[illegible] (l. [illegible] quæst. med. [illegible] tit. [illegible] quæst. [illegible])*

§. 27.

Ad Extispicinam hic aliquantisper evagari possimus, & [illegible] docere, unde nempè in brutorũ immolatorum extis hujus [illegible] visceris defectus v. g. Cordis, in opimis bobus eo die, quo Julius [illegible] sar purpurea veste procedens à conjuratis interfectus; Utriusque [illegible] visceris Hepatis & Cordis in victima, quam paucis ante mortẽ [illegible] bus mactari jusserat Cæsar Pertinax (*[illegible]*). Si de veneficio suspicio habeatur, cur in quibusdam Cor [illegible] ctum pyrum tostum repræsentavit, quod viderunt *[illegible] Rer. nat. [illegible] [illegible] (l. [illegible] med. [illegible] p. [illegible])* jam rabidum [illegible] observavit *[illegible] (l. 2. Med. Pract. p. [illegible])* facilè patet. [illegible] contra hanc tabem succus raphani ab Ægyptiis [illegible] (*Plin. l. [illegible] hist. nat. c. [illegible]*) experientia curiose facilè suggeret. De [illegible] no demum quomodo illud tenellis comprimis infantum corpusculis nocumento esse possit, nisi de hoc alia occasione, favente Numinis clementia, plura, cum forsan curioso animo non [illegible] nempè peculiaris *[illegible]* jam sub manibus sudant, [illegible] mitterer. Sufficiat in præsenciarum hæc saltim libasse.

§. 28.

Quæ Stygium Draconem ejusque Vasallos instigant causæ [illegible] tim sunt Theologicæ, partim Physicæ. Theologicæ [illegible] mines suspiciosos (addo & superstitiosos) [illegible] tales in Superstitione confirmat, confirmatosque in hos errores [illegible] dissemi[illegible] instigat. *[illegible]* Dæmonem aliquando non in demortuorum sepulchris, [illegible] superstitiosorum [illegible], non incongruè statuit [illegible] *[illegible]* in [illegible], & à providentia Dei [illegible] sepulchra demortuorum [illegible], ut non Deo per peccata ad [illegible] nam stimulato, sed demortuis mandentibus & [illegible]

nona-

numerose [illegible] imputent. Ita apud *[illegible] Conscient. c. 2. [illegible]* (β) Famam demortuorum piorum [illegible] hoc ipso lambere & mordere tentat, attestante id Exemplo apud *[illegible]* (γ) Inter defunctorum cognatos & alios, qui apertionem sepulchrorum & demortuorum decollationem urgent, inimicitias serit & odia.

§. 29.

[illegible] persona mulierum verò hanc agit fabulam, ut sexum muliebrem reddat infamem, quem Servatoris Nostri nobilitavit e muliere nativitas. *(Conf. [illegible])* Addo ut mulieres, quas etiam non *teste Strabone (l. 7. Geograph. [illegible])* superstitionis agnoscit Autores, hoc ipso facilius dementet, largioresq; fructus superstitionis ferat Zizania.

§. 30.

Causas Physicas quod justam habeat animarum [illegible], non est quod dubites. Consummatus est Physicus, variisq; experimentis à mundo condito in hunc usq; momentum instructissimus. Naturali namq; scientiæ dono ob peccatum non privatus, illud velut sibi [illegible] [illegible] terrore, ut loquitur *[illegible]* Inde quid terror possit ad unguem novit & cognovit. Generat terror cum voluntate & coadunatus cum fide pestem, *[illegible] (in Tumulo Pestis [illegible])* Non a, quævis fides ad hoc est sufficiens, ita se explicat (*[illegible]*) sed quæ essentialiter in eodem [illegible] puncto est connexa terrori apprehenso cum perturbatione [illegible] actualis venenum. Terror igitur [illegible] pestis vehit [illegible] aliquam fidem, timoremq; se aliquid contagionis attraxisse ob incertitudine & agonia hujusmodi, eo quod venenum pestis sit invisibile. Quæ particula fidei cum perturbatione terroris perficit [illegible] imaginem in Archeo generandæ pestis semen. Eo quod imaginatum apprehensum cum perturbatione & [illegible] stent actualiter in eodem puncto phantasiæ proferentis imaginem in Archeum tanquam ens seminale.

§. 31.

Deinde ex apertis sepulchrorum cryptis venenata miasmata

exhalare, nec ipsum latet. Narrat *[illegible] (l. de [illegible])* [illegible] spilliones tres à tetro sepulchri vapore subitò suffocatos. Qvocirca rectè notavit *[illegible] (tr. de Peste [illegible])* non [illegible] mortuorum qvam viventium gratia Sepulchra esse reperta, ad removendum nempè fœtorem ex cadaveribus provenientem. Suadet præterea *[illegible]* (Hamburg. PestOrdn. *[illegible]*) [illegible] profunda satis tunc temporis faciant sepulchra, neve Nobilibus locus sepulchri in templis concedatur, sed ut plebej extra urbes sepeliantur. Imò curandum ut absq; putredine cadavera tabescant edisserit *[illegible] ([illegible] f. 117.) & [illegible] ([illegible])* Nempè foveis magnis [illegible] Cadavera ipsis inspergatur Calx viva, & ita comburantur, qvod Consilium tamen tanqvam Christianis indignum rectè rejicit [illegible] *[illegible]* (*part. 1.* PestOrdn. *[illegible]*)

§. 32.

Idem ad remedium qvo contagii hujus scelus averruncaret [illegible] tat vulgus. Ut fluctus fluctum, ita error errorem trudit. Tale [illegible] perstitioni est fascinum, ut semel dementatos ad sanam mentem redire prorsus vetet. Legimus, scribit *[illegible] (part. 4. [illegible] mort. [illegible])* in Cretensium annalibus, Manes, qvos ipsi Catchanas [illegible] cant, in corpora remeare solitos, & ad relictas ingredi, libidinem perficere: ad qvod evitandum, & qvo amplius non infestent [illegible] res, legibus municipalibus cautum est, surgentium Corda [illegible] transfigere, totumq; Cadaver exurere. Qvid Nostri? vestigia [illegible] tensium videntur premere, dum sepulchra aperiunt, velos [illegible] deglutitas mortui faucibus eripiunt, diutur[illegible] cadaver capite plectuntur.

§. 33.

Qvam bene vero, audire licebit [illegible]. [illegible] hoc alexicacum ob novam vaporum sepulchris apertis exhalantium fomitemq; Pesti subministrantium, qvod [illegible] vimus. Opponet pariter illud prodigium [illegible] autumnum. Causam qvidem præsentis, signum vero [illegible] imminentis sive pestem consideres seu pestilentis [illegible] mentum. Causa non erit, qvia anteqvam contingit [illegible] mul-

multos fefellit. Nec cur causæ asciscat nomenclaturam causa potentis [illegible]. [illegible] personam gerit? Detur id. Cur verò in[illegible] non causæ ablationem urgent. Sciant sublatâ causâ [illegible], tolli effectum. Ita Sublatô Cometâ non illicò [illegible] pestis, fames, bellum; nec evanescente Iridis gratia Cœli [illegible] perit venustas.

§. 24.

Corrumpuntur qvamvis rarissimè in morientium oculis oculorum humores & confunduntur, & ante & post mortem instar lacrymarum egeruntur. En notabilem hujus rei observationem, qvam *Amico meo sincero Dn. D. Godofr. Buxbaum Physico Ileburgensi clarissimo* debeo. Rusticus è pago Waſewitz intra Ileburgum & VVurzenam sito ad amicum, ni fallor, Grimam profecturus, invia, ut retulit, nullo qvamvis ipsum comitante qvasi qvodam afflatu ex insperato faciem tentari sensit. Succesit oppidò aliqvalis faciei calor, qvem primum oculorum post totius faciei pruritus insecutus. Altero die cum ad suos rediisset pruritum illum in tolerabilem, tantus totius faciei tumor, qvi etiam oculorum cavitates obliteraret, excepit. Vocatus *modò laudatus Dn. D. Buxbaum* unà cum Chirurgo Erysipelatosum affectum pronunciavit, & remediis tùm internis, tùm pulvere ad Erysipelas externè applicato malo ivit obviam. Qvid fit? post aliqvot horas cum linteum pulvere aspersum amoveret Chirurgus materiam uveo in oculo humori non absimilem rimas oculorum stillare advertit, externamq; oculorum plagam nigram, Sphaceloq; correptam. Intereà ægro ad extremum usq; halitum,

qvem qvartus à morbo dies exceperat, qvod ſanè mirum, ſalva ratio conſtitit.

§. 6.

Oculis apertis qvidam fato cedunt, alii conniventibus. Id verò mirum non eſt, cùm qvidam ſecundum naturam lepores

Qvêis oculi fulgent in glauca fronte coruſci,
Pervigili muniti hirqvo, ---- ----

ut ex *Oppiano* (*Cyneget.*) *Friſchlinus* (*in annotat. in Callimach. hymn. 3. p. 229. Add. Plin. l. 19. c. 37.*) imitentur, alii à morbis oculos claudere prohibeantur. Lanioni hìc loci dextri oculi corrugabatur palpebra, genaq; laxata propendebat, ut oculi clauſuram in ſomno, lingvæq; motum ſufflaminaret. Scorbuticus erat in ſummo gradu, inde à Scorbuto malum. Curatus à nobis convenientibus medicamentis & fonticulo in ſiniſtro brachio excitato, jam per Dei gratiam adhuc vivit. Epilepſiâ detentis aperti, nihil tamen vident, animo caligante, qvod etiam *Plinius* (*l. 11. c. 37.*) notavit. Idem Catalepticis accidere obſervationes teſtantur *Dodonei* (*obſ. med. 102.*) *Foreſti* (*l. 10. obſ. med. 24.*) *Tulpii* (*l. 1. obſ. med. c. 22. p. 46.*) Oculi connivent qvibusdam pariter dum dormiunt, qvibusdam verò, ut in febribus &c. ob nimium lapſum virium, idq; φλαῦρον τὸ σημεῖον pronunciat *Hipp.* (*ſ. 6. aph. 52.*) cum ſummam *teſte Riverio* (*l. 3. inſt. med. ſ. 3. c. 2. p. 109.*) ſpirituum animaliū depauperationē denunciet. Tales ut plurimum convulſos mori obſervavit *Spigelius* (*l. 7. de fabr. corp. hum. c. 2.*) Talibus igitur morbis vexati ægri ad plures dum abeunt oculos modò apertos modò conniventes relinqvunt. Mulierem poſt mortem ſupercilia clauſa aperuiſſe notavit *Th. Bartholin.* (*Cent. 6. obſ. 4. p. 203.*) illumq; motum ſpirituum reliqviis aut rectiùs ciliis rigentibus ſeriùs clauſis imputat.

§. 7.

Hoc juxtim notandum, omnes ferè violenta morte extinctos oculos obtinere palpebris tectos, ob robur ſpirituum, eorundemq; in muſculos & nervos paulò ante mortem vegetum adhuc influxum. Contrarium verò convulſi, emaciati, febricitantes & alii monſtrant. Patet inde qvàm carioſo nitatur fundamento illorum

opi-

opinio, qvi corvos cadaveribus oculos hanc ob caufam primùm eruere afferunt cum *Plinio*, (*c. l.*) & *Ifidoro* (*l. 12. Orig. c. 7.*) qvod effigiem fuam in iis cernentes, velut ad fua cognata defideria tendant, ut loqvitur *Plinius*, vel ut *Ifidorus* edixit, qvod in pupillis effigiem fuam qvafi in fpeculo intuentes invidiâ inflammentur, proinde ac fi alios fibi adverfarios confpicerent. Palpebræ obftant ne oculorum fpecula cernant, iisq; remotis oculus, omni fpirituum lucidorum luce orbatus, cumprimis poft aliqvot à morte dies, nec imaginem reddet, nec lucem. Forfan alitibus funt in deliciis, prout agnorum, vitulorum, &c. oculos apprimè noftro fatisfacere palatui fcimus.

§. 8.

Illud etiam obfervatum effe ajunt, fcribit *Paulus Zachias* (*l. 5. qvæft. med. legal. tit. 2. c. 11. n. 8. p. 395.*) & *Zeilerus* (*part. 2. Epift. 456. p. 505.*) fi dormiens homo ictus fit à fulmine, oculis apertis reperiatur; fi vigilans, claufis. At unde hoc? Dormiens ad fragorem expergifcitur, oculosq; aperit, vigilans ad terrorem concutitur, oculosq; claudit ob timorem præfentis mali.

§. 9.

Inter fenfuum collegia autem omnium primùm vifum claudit mors, cùm fecundum *Lemnium* (*l. 4. de occult. nat. mir. c. 6. p. m. 405.*) oculi ultimò in fœtu formentur, unde Natura reducem agit decurfum, ut loqvitur *Nobil. Langius* (*diff. d. fac. Hipp. §. 22.*) & à calce ad carceres, à circumferentia (oculis) ad centrum (Cor, illud namq; primum vivens & ultimum moriens, aut rectiùs proxima Cordi venæ cavæ pars, ut obfervavit *Stenonius* (*apud Th. Bartholin. Cent. 4. Epift. 25. p. 109.*) unde proruit, redit. Unde oculi certisfimum vulgò mortis dant Prognofticon, dum dicunt: Der Tod siehet ihm zum Augen heraus/ die Augen sind ihm schon gebrochen.

§. 10.

Signa ifta vulgares propinant:

Si multum rubeant oculi: vel fponte madefcant,
Si lucem fugiant, venæ fiqvando nigrefcant,
Qvod fi ficcentur, fpafmò vel fortè graventur,

Si jam ſint clauſi, pauco poſt tempore aperti
Alter ſi minor aut altro, dexterve ſiniſtro,
Si non objectis cernant benè lumen ocellis,
[illegible]
Extremas partes.

§. 11.

Oculorum iſta poſt fata adhuc conſtans apertio, cum truculentum & deforme reddat cadaver, ne intuentibus vivis ingeratur horror, oculos claudebant. Apud Romanus ritus iſte obſervabatur. Ita *Plinius* (*c. l.*) Morientibus illos (oculos) operire: rurſusq; in rogo patefacere, Qviritium magno ritu ſacrum eſt. Ita more condito: ut neq; ab homine ſupremum eos ſpectare fas eſt, & cœlo non oſtendi nefas. Inde *apud Ovidium*:

Hic certè manibus fugientes preſſit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona tulit.

Apud Senecam (*in Troad.*)

Concede parvos ut mea condam manu
Viventis oculos.

Etiam id Hebræis in uſu fuiſſe exemplum Joſephi (*Geneſ. 46. v. 4.*) Patris Jacobi, & Tobiæ Junioris (*Tob. 14. v. 14.*) Soceri ſui oculos comprimentis abundè probat. Officium illud charorum & propinqvorum reqviſivit affectus *Vid. Pl. Rev. Dn. D. Mart. Geier.* (*de luct. Ebraor. c. 5. §. 6. p. 50.*) ubi plura. Hoc nomine infelices *teſte Plutarcho* vocarunt illos, qvorum oculos parentes ob abſentiam non poterant obtegere. *Conſ. Kornmann.* (*p. 7. c. 9.*) ubi etiam de lege Menia: *Ne filii parentibus luci claros oculos ſuggillanto.*

§. 12.

Os hiat, qvia inter ſuſpiria cordisq; ſingultus animæ cum corpore commercium interdicitur. Exſpirando anima tuguriolo ſuo ſubtrahitur, inſpirando olim in creatione à ſummo Creatore eidem concredita. Patet id comprimis in Catharris ſuffocativis, pulmonesq; viſcido humori impacti ultimo conatu phænomenon illud patrant. Inde deformitati huic ut conſulant, odoriq; tetro exhalanti obex ponatur, tenui faſcia ad verticem inferiorem maxil-

lam

lam aſtringunt. Judæis id etiam in more poſitum, conſulatur *modò laudatus D. Geierus* (*c. l.* §. *7. p. 52.*)

§. 13.

Os hiat aliqvando lingua ſimul exſerta. Ita ſpecies Anginæ qvam κυνάγχην vocant facit, ut ægri canis ſitibundi inſtar lingvam exſerant & ſpiritum trahant. (*Sennert. l. 2. Med. Pract. part. 1. c. 24. p. 95.*) Accedit lingvæ tumor talis ut ore contineri non poſſit. Exempla ſuggerunt *Galenus* (*14. M. M. c. 4.*) *Foreſtus* (*l. 14. obſ. med. 15.*) Ab hauſtis venenis, aut fungis, cumprimis illo peſtilenti cujus meminit *Botallus* (*in Appendic. ad l. de med. & ægrot. mun.*) qvi ſummitati lingvæ tantùm admotus ſtrangulationem ſeu ſuffocationem inducit. A morbo Gallico lingvam etiam intumeſcere *Alex. Benedictus* (*l. 5. de cogn. & cur. morb. c. 20.*) commemorat. Nec inauditum lingvam ob copiam laudabilis alimenti monſtroſa magnitudine luxuriare. Hiſtoriam evolventi ſuggeret *Galenus* (*d. diff. morb. c. 9.*) In convulſionibus à Liene lingvam cum clamore ſæpius exertam non ita pridem videre contigit, ita ut inſtrumentum, ne lingvam patiens morſu læderet, adhibere coacti fuerimus. Qvocircà ſi uno prædictorum affectuum diem ſuum obeant ægrotantes, ore hiante lingvâve exſertâ vultum qvàm facillimè deturpare qveunt.

§. 14.

Mortuos verò loqvi, qvod de Maria Virgine Deipara ex aliis retulit *Mitternacht.* (*Diſſ. 7. de Joh. p. 137.*) Poſtqvam corpus egreſſa eſt anima corpus ipſum hæc verba protulit: Gratias ago Tibi Domine, qvod Tua ſum gloria. Memento mei, qvod Tuum figmentum & tuum ſervavi depoſitum. Mortuos clamare, qvod de celeberrimo qvodam Doctore etiam ex aliis narrat *Kornmann.* (*part. 4. c. 6.*) qvid aliud qvàm fabula eſt, miraculum ſi non eſt. Ejusdem monetæ putamus illam de monachis ſuſpenſis pſallentibus hiſtoriam qvam (*part. 5. c. 11.*) *è Baronio* (*tom. 7. antiqvit. eccleſiaſt. c. 165.*) recitat. Ipſe *Ariſtoteles* caput abſciſſum poſſe loqvi negavit (*l. 3. hiſt. anim. c. 10.*) & Starchateri caput decollatum terram morſu petiiſſe, ut recitat *Kornmann.* (*p. 4. c. 96.*) non videtur veroſimile.

§. 15.

De Cranio (*Vid. iterum Kornmann. p. 4. c. 10.*) cùm preces pro mortuis funderet Macarius, in hæc verba erumpente: Qvando pro mortuis oras, consolatiunculam sentimus; qvid sentiendum, Sacra oracula te edocebunt, qvæ neq; preces pro mortuis præcipiunt, neq; aliqvid emolumenti in eos redundare asseverant. Ejusdem farinæ sunt illa, qvæ habet *Del-Rio* (*l. 2. Disqvisit. Magic. qvæst. 19. p. 225.*) Comprimis illud è *Bonfinio* (*l. 3. Hung. hist. Decad. 3.*) de capite inexpiati, subinde inter ossa nomen Salvatoris & Mariæ intonante, qvid nisi figmentum, cariosumq; cultus Sanctorum fundamentum?

§. 16.

An Diabolus & Sagæ inanimatis bestiis, & cadaveribus loqvelam possint conciliare? si qværas, pluribus te informabit modò citatus *Del-Rio* (*c. l.*) è *Joh. Ernest.* Pfuels (*Elect. Phys. part. Gneral. Tit. 2. s. 1. p. 126.*) hæc accipe: Loqvelam inanimatis aut brutis corporibus conciliare Satanas non potest: sed ipse occupat illud ministerium, auresq; audientium, veluti ex aliis facto sono decipit.

§. 17.

Morientes interdum ridere, qvidam annotarunt. An verè, dubito. Videntur ridere, non rident. Causam vis? motus convulsivi musculorum & nervorum sunt. De Apii specie commemorant Autores, in Sardinia mediterranei maris insula (*vid. Strabon. l. 5. Pompon. Melam l. 2. c. 7.*) eam tanto pollere scelere, ut illā comedentes pereant, sed ridentes. Ita de hac *Dioscorides* (*l. 6. c. 14. p. m. 734.*) eam convulsiones facere cum labrorum contractione, ut risus speciem videntibus præbeat. Inde Sardonia herba, Apium risus, risus verò ille vocatur Sardonius. Apud Antvverpiam nonnullos juvenes Italos in acetario hanc herbam degustasse, qvorum nonnulli illicò vitam cum morte commutarunt, (an cum risu, non addit) notavit *Amatus Lusitanus* (*in l. 2. Diosc. enarrat. 171. p. m. 416.*) Simile ferè de Cicuta pro Petroselino à Monachis comesta *Kircherus* (*s. 2. Scrutin. Pest. c. 2. p. 203.*) Plura de Apii noxa *Ruellius* (*l. 2. de nat. stirp. c. 106. p. m. 426.*)

Et api-

Et apium etiam hortenſe ſeu Petroſelinum Epilepticis noxium ex aliis declarat *Sennertus* (*l.1. Med. Pract. part. 2. c. 31. qvæſt. 12. p. 662.*) Idcircò qvamvis virente Nemæi, exareſcente verò Iſthmiaci victores coronabantur (*Hadrian. Junius l. 4. animadv. c. 21. p. 167.*) tamen à menſis veterum relegabatur, non tantùm qvia eô ſepulchra coronabantur, ſed etiam qvia hujus eſu, ut dictum, Epilepſia generatur, & viſus diminuitur, prout ſcribit *Schönborner.* (*Manual. med. Pract. Tit. Capiti nociva p. 19.*) Caveant proïnde nutrices à Petroſelini uſu, comprimis nimiô, ne inſontes huic eqvuleo temerè ſubjiciant infantulos.

§. 18.

Qvod de Apio dictum, idem de fungis verum confirmat *Foreſti* (*l. 10. obſ. med. 116. p. m. 457.*) hiſtoria de virgine, qvæ convulſione ab utero & fungis comeſta ridentis ſpeciem exhibebat, reverâ tamen non ridebat, qvamvis Sardonico riſu convulſis muſculis multis miſerandum ſpectaculum præberet.

§. 19.

In morbis etiam riſus ille contingit. De Abbate, qvi involuntariè ridere coactus, ad extremam usq; virium proſtrationem ſe exagitabat, legi poterit *Schenkius* (*l. 1. obſ. med. p. m. 120.*) In Studioſo Theologiæ febre maligna laborante inſtante morte idem ante aliqvot annos deprehendimus.

§. 20.

Ii, qvi in præcordiis vulnerati ſunt, ridibundi perire dicuntur, *prout Ariſtoteles* (*l. 3. hiſt. anim. c. 10. p. m. 495.*) & ex eo *Scaliger* (*Exerc. 117. ſ. 6. p. 1022.*) ſcripſit. Exemplum illud probat Tychonis *apud Hippocratem* (*l. 5. Epidem. p. m. 1054.*) cui, poſtqvam vulnus in pectus acceperat, riſus aderat cum perturbatione. Calorem vulnus movere, & inde riſum concitari, *Ariſtoteles* (*c. l.*) aſtruit. Convulſionis rectiùs vocatur ſpecies, à conſenſu Diaphragmatis cum Cerebro & muſculis labiorum maxillarumq; proveniens, à nervis qvinti paris (*Pfizzerus jud. vuln. rat. l. 2. c. 11. p. 96.*) Id verò ubi contingit, conclamata res eſt.

§. 21. Hæc

§. 21.

Hæc de morientibus. Mortuos autem ſolvi in riſum omnem ſuperat fidem. Qvod de S. Carpo Martyre ſuſpenſo referunt alii, & ex illis *Kornmann.* (*p.5. c.15.*) noſtrum non infringit aſſertum. Potuit namq; Carpus ſuſpenſus laqveo non ita arctè collo injecto in calamitatum prolongationem riſu exagitare tyranni furorem, aut moribundus prædicta convulſionis ſpecie obire. Neq; impoſſibile morituri faciem, ſi ante mortem riſu Sardonio tentetur, diſpoſitionem ridentis poſt fata ſervare poſſe, ut illa *apud Kornmannum* (*p.4. c.104.*) mulier.

§. 22.

Mortuos ſpumam ex ore emittere aliqvando vulgo placet. Id verò ut rejiciamus modus qvomodo ſpuma in viventibus generatur ſuadet. Spumant partim Apoplectici, partim Epileptici, nec Carotici aut Hyſtericæ excludendæ *ſecundū Willifium* (*de morb. convulſiv. c.3. p.35.*) De ſpuma Apoplecticorum, curve lethalitatem inferat mentem veterum explicat *Foreſtus* (*l.10. obſ. med. 74. p.408.*) E recentioribus de hac ita *elegantisſimus Tulpius* (*l.1. obſ. med. c.6. p.11.*) Spuma eſt ſpiritus & humorum mixtio. Fitq; in morbo attonito, vel ex deſtillante capitis pituita per aërem rarefacta; vel ex ſpirituoſo oppreſſi pulmonis vapore. Omnium optimè verò de hac *acutisſimus Willifius* (*c.l.*) Ejusmodi ſpuma haudqvaqvā à cerebro deſcendit, nullꝰ enim per qvē transeat meatus pateſcit; verum à pulmonibꝰ inflatis, ac usq; ad laryngem elevatis, unde velut cum effervescentia qvadā & ebullitione ſaliva ſpumeſcit: urgente enim caduci paroxyſmo, cum pleriq; nervi in toto corpore contrahuntur, etiā qvi pulmonū & Diaphragmatis motibꝰ inſerviunt ſpaſmos immanes paſſi, præcordia omnia ſurſum elevant, eaq; in Syſtole diuturna ferè immobilia continent; ita nimirum ut pulſus & reſpiratio vix ac ne vix perficiantur: Intereà qvia ſangvis intra cordis ſinum coërcitus ipſum diſtendit admodum, ac ferè opprimit, pulmones utcunq; impediti, ne more ſolito & naturali moveantur, qvod poſſunt tamen feſtinata & ſpiſſa agitatione, qvoqvo modo ſangvinem è Corde exant-

exantlare satagunt; à qvo ipsorum nisu, aër humiditatem viscosam crebra respiratione succutiens, ut agitatum ovi albumen in spumam attollit, mox sursum in oris cavitatem elevat, & illinc ulterius foràs propellit: qvare saliva spumosa etiam in aliis affectibus, ubi nervi pnevmonici aut contrahuntur, aut à functione sua obeunda inhibentur non rarò succedit. *Hactenus Willisius.*

§. 23.

Trutinatis his æqviori, ut fas est, lance, cadaver spumare non posse oppidò concludendum, cum cessante motu totius, inde etiam Pulmonum & Diaphragmatis, spumæ sufflaminetur generatio.

§. 24.

Qvid si exemplis asserti nostri everteretur veritas? Hos verò non reverà diem suum obiisse regerimus. Notabile Exemplum propinat *Zacutus Lusitanus* (*l. 1. Prax. admirand. obs. 19.*) de Piscatore, qvi qvum qvatuor & viginti horarum spatio Apoplecticus, toto corpore frigidus, lineo panno ad sepulturam involutus & consutus in terra jacuisset, dum à vespillonibus ad sepulturam deferreretur raucum & ignotum clamorem edidit. Audientes hunc vespillones feretrum ab humeris in terram deponunt, & pannum circa os madidum & spumâ plenum conspiciunt. Huic negotio ad vocatus *Zacutus* cum aliis duobus Medicis in metacarpio arteriarum motiones explorarunt, easq; urgere deprehenderunt, sicq; adhibitis auxiliis paulatim ad se redire cœpit, & post paucos dies valuit pancraticè. . In qvadam convulsionibus Epilepticis die Jovis demortua, die Veneris circa nonam spuma circa os apparuit; Qvæsiti super hac re Doctores Parisienses, pronunciarunt eam jacuisse hystericam, &, ubi spuma erupit, fatis cessisse, qvod *Riolanus* (*l. 6. Anthropogr. c. 8. p. 398.*) retulit. Ita in aqva suffocati anteqvam moriantur spumant, spumamq; illam in faucibus & labiis eorum deprehendit *Pfizerus* (*l. 2. rat. vuln. judic. c. 29. p. 187.*)

§. 25.

Ructum ex ore virginis grandævæ Nobilis à *Th. Bartholino* (*Centur. 6. hist. 4. p. 203.*) observatum hic addimus. Emersit ille sine dubio, ut idem vult, ex vaporibus in ventriculo ex affectu hypochondriaco conclusis.

§. 26.

Dum̃ materiam circa os cadaveri fluctuare cernit anilis ſimplicitas, vomitu eandem cadaver exoneraſſe ſtatuit. Aniliter ſanè, ſi in viventibus qvomodo vomitus contingat, trutines. Dabit id αὐτοψία *Rudbekii* (*obſervat. anatom. 20.*) qvi in Cane vivo aperto inſperato vomitum hoc modo fieri deprehendit. Primo Pylorus ſe contrahebat, mox ſyſtole totius ventriculi ab orificio inferiore ad ſuperius ſeqvebatur, ac tandem œſophagi materiam effundentis. Unde verò iſte in mortuo motus? Humor igitur ille aut à Cerebro deſcendit per nares, aut ob nimium motum cadaveris è ventriculo ad fauces, & inde per palati foramina ad nares translatus evacuatur. Demonſtravimus id ante annos aliqvot *cum Experient. Dn. D. Buxbaum* in pago propè Ileburgum Grunau in Cadavere pueri ſeptem annorum à nobis aperto. Huic ante obitum Balneator Dübenſis magnam Decocti ſiliqvæ qvantitatem propinârat, cujus copiam ad levem ſaltem capitis aut abdominis motum nares ſuggerebant.

LIBR. I. TIT. VI.

Dentium Singularia.

Summaria.

DEntes non eſſe oſſa, qvorundam objectiones. Reſpondetur iisdem. Dentes perennare. Cauſa. In igne non durant. Dentium ætates ex Helmontio. Qvi dentes perennent. Dentes reſurrectionis argumentum Chriſtianis. An etiam Ethnicis. Cur ſepulturam illis Ethnici procurarint. Cur viventibus corrumpantur. Mercurii noxa. Dens aureus. Ferreus. Infantes mortuos dentes eniti. Ratio eruitur. Dentes ſub terra creſcere. Refutatur. Coronis.

§. 1.

SUnt qvi inter oſſa dentibus locum denegarunt, eò qvod ab illis differant (α.) Senſu. (β.) Incremento. (γ.) παλιγγενεσία (δ.) peri-

periosteo. (ε.) Medulla. (η.) Duritie. (ζ.) ab aëre non lædantur. (θ.) Usu. Evolvantur si placet *Greg. Horstius* (*l. 1. Exerc. nobil. de Not. hum. 4. q. 9. p. 104.*) *Nobiliss. Dn. D. Mœbius* (*fundam. med. Physiol. c. 9. p. 111.*) Nos cum *Scaligero* (*Exerc. 291. s. 2. p. 468.*) Dentes ossa sed suæ Speciei esse concludimus, aut cum *Helmontio acutissimo* inter lapides animales dentes reponimus, eò qvod succo, in qvô sigillum coaguli semenq; lapidescentiæ latet, nutriantur, (*tr. Alimenta Tartari insontia n. 24. p. 200.*) eorumq; materia intra os & petram neutra sit (*vid. Grembsius l. 1. Arb. integr. & ruinos. hom. c. 7. §. 3. n. 13. p. 36.*)

§. 2.

Ad argumenta breviter. (α.) Sentiunt non ut ossa, sed qvia nervuli iis in radicibus, ubi eorum sensus, inseruntur. Sentit nervulus non dens. Plura *Laurentius* (*l. 2. qvæst. 12.*) (β.) incrementum necessitas injunxit. Attritu crebro minuuntur & si non crescerent citò devenirent ad non qvantum. Ita *Arculanus* (*in l. 9. Rhas. de anat. dent. f. m. 64.*) Dentem autem ad annum qvadragesimum accrescere *Helmontius* (*c. l.*) observavit. (γ.) Seriùs erumpunt, non qvod non eos unà cum reliqvis ossibus formet virtus formatrix, id enim exempla cum dentibus natorum *apud Schenkium* (*l. 1. obs. med. p. 198.*) non tantùm satis refutant, sed & ipse *Realdus Columbus* hic in testimonium vocandus, qvi etiam in abortibus septem aut octo mensium dentes sub gingivis latentes demonstravit (*l. 1. Anatom. c. 10.*) Adde si placet *Eustachium* (*libell. de dentibus. c. 15. & 17.*) sed qvia Natura in infantibus sorbilia expetit, & ut matrum papillis sic consulatur (*Swalbe ventric. qverel. & opprobr. p. 43.*) Excidunt tandem, secundum *Laurentium* (*c. l.*) qvia maxillarum alveoli continuò crescunt, dentes autem molles & lactei ob durioris ideoq; inepti alimenti appulsum tabo qvasi conficiuntur, ideò vacillant & cadunt. Regenerantur verò, qvia sub illis minores latentes superioribus ablatis emergunt. Et hæc est ratio cur etiam decrepitis & sexagenariis demum creverint. (δ.) Periosteo destituuntur, qvia opus eo non habuêre, circa radices ejus vice gingiva fungitur. (ε.) Medullam ut habeant ossa sanè semper necessarium non est, ita, ossa temporum, os petrosum eâdem non gaudent, & successu temporis ossa medulla vacua deprehunduntur. Leonis ossa pauca

medullam obtinere, plurima nullam *Aristoteles* (*l. 3. hist. anim. cap. 7. p. m. 86.*) asseruit, nullam Leonum & Ursorum ossibus planè tribuit è recentioribus *Bassianus Landus* (*l. 1. Anatom. p. 52.*) (n.) Durities eos ossa esse potiùs evincit, qvàm negat: (ζ.) Ab aëre verò eos non mutari cum *Helmontio* (*c. l. n. 26. p. 201.*) oppidò negamus. Australes namq; Borealibus dentes habent nitidiores: fruuntur qvippe aëre benigniore. Et ob Aëris in Ægypto benignitatem nec cariem sentiunt Ægyptiorum dentes nec dolent (Hemmersamm. West-Ind. Reisebeschr. *pag. 37.*) (9.) Usum qvod spectat Scyllam illam evitabis, distingvendo inter usum generalem & specialem. Nec omnibus, ut cibos masticent, dentes inservire *acutissimus Scaliger* probat (*Exerc. 241. sect. 2. pag. 740.*) exemplo piscium, Lucii imprimis, cui dentes mandendi nullum faciunt officium, sed rapiendi & retinendi; integros enim, addit, pisces in ejus ventriculo conspeximus.

§. 3.

Dentes in defunctis perennant. Corpora defunctorum, refert *Riolanus* (*comment. in Galen. lib. de oss. c. 11. p. m. 480.*) qvod sine dubio hausit è fontibus Plinianis (*l. 36. hist. nat. c. 17.*) condita in lapide Sarcophago intra qvadraginta dies absumuntur, exceptis dentibus. In Mumiis Ægyptiacis nullam, in à bis mille annis balsamo conditis maxillis, cui dens defecerat aut cariem senserat, observare, potuit *Princeps Radzivilius*, ut ex eo *Helmont.* (*cit. loc. n. 20. pag. 199.*) Et in Mumia VVratislaviensi conspicua erat dentium integra series: triginta atq; duo numerare licuit, cœterum adeò nitidos, candore & specie eximios, exiguos dein, ut idem hic, qvod de Zenobia Trebellius Pollio affirmares, margaritas eam pleriq; probant habere, non dentes. Ita *Elegantissimus Andr. Gryphius* (*de Mum. Wratisl. p. 42.*)

§. 4.

Causa hujus durationis est petrosa eorundem durities, nativa siccitas, & superficiei levitas, qvæ humiditatem putredinis matrem non admittunt. Duritiem illam tantam esse *Archi-Philosophus credidit*, ut scribere non erubuerit (*l. 3. hist. anim. c. 7.*) eos ferri aciem respu-

refpuere, qvod vel juvenes in Infula Tentaïda experimento confutabunt. Hi namq; fibi dentes ad radices usq; fecandos curabant, duriores firmiores denfioresq; ut redderentur, non aliter ut arbores decacuminatæ craffefcunt, notante *Scaligero* (*Exercit. 272. fect. 2. pag. 829.*)

§. 5.

Qvod addit *Riolanus*, qvod ignibus invicti non crementur cum reliqvo corpore, id etiam duritiei præfatæ referendum effet, nifi experientia contradiceret. Illa namq; docet non folum hominum, fed & brutorum v.g. Apri, Lupi, Caftoris &c. dentes facilè poffe calcinari.

§. 6.

Notandum hic cenfemus ex *Helmontio* (*c. l. n. 25. p. 201.*) Dentes fuas habere ætates, qvas notanter fic diftingvit. Dens qvi poft octennium hominis candorem vitri opaci (qvod à colore lactis lattimo vocant Artifices) vel lapidis limacis refert, adolefcens eft. Splendidus & politus eft color albus. Deinde fenfim pallefcit: mox dein furdè albefcit, tanqvam ebur. Juventus eft dentis. Tum poftea obfcurè pallet, ut in Syncopizatis & defunctis virginibus fpectatur. Eftq; ætas ejus virilis. Atq; tandem pallidè flavefcit, osfis inftar, priftinumq; amittit nitorem. Senilis tum ætas dentis incipit. Qvantum enim diftat cartilago à membrana, ungvis à cornu, tantundem qvoq; dens ab offe differt: freqvens autem eft Odontalgia, dum decrefcit gingiva, & dens osficolor eft. Poftremò autem dens cariofus, cavus, niger, verminofus & olidus eft ætas caduca dentis, *Hæc Helmont.*

§. 7.

Non omnes igitur dentes perennant, fed juvenes folùm & virilis ætatis, cæteri, cum aut rudimenta putredinis jam in finu foveant, aut contagio recipiendo apti nati fint, faciliùs putredinis jugo fubjacere coguntur. Et cum in Ægypto qvod etiam fupra (§. 2.) diximus aëris falubritas, addo etiam Nili, aqvæ laudatæ, potus (*vid. tit. h. l. feq. 7. §. 1.*) Juventutem illis fervet perpetuam, qvid mirum, fi corruptionis necesfitati obtemperare refpuant.

H 3 §. 8. Hanc

§. 8.

Hanc dentium durationem dum conſideravit pia antiqvitas, dentes pro integrandi corporis in reſurrectione ſeminario habuit, memorante *Tertulliano* (*l. de Reſurrect.*)

§. 9.

Qvod etiam hanc ob cauſam Ethnici dentes terræ ſollicitè mandârint, non facilè aſſererem, utpote qvibus mortuorum reſurrectio inter fabulas fuit: Epigramma *Martialis* (*l. 8. Epigr. 57.*) qvod allegat *Mœbius* (*c. l. p. 115.*) Scomma potiùs eſt in Pincentem edentulum malum Poëtam (*ut patet ex ejusd. l. Epigr. 62.*) Tenor verborum id arguit, qvi ita habet:

Tres habuit dentes, pariter qvos exſpuit omnes,
Ad tumulum Pincens dum ſedet ipſe ſuum.
Collegitq́; ſinu fragmenta noviſſima fracti
Oris, & aggeſta contumulavit humo.
Oſſa licet qvondam defuncti non leget hæres:
Hoc ſibi jam Pincens præſtitit officium.

§. 10.

Horum verò ſepulturam ut procurarent, eorum utilitas & neceſſitas ſtimulum addiderunt. Faciunt ad vitam longiorem, maſticationi ciborum, qvam non ſine cauſa magnifacit *Helmont.* (*tr. victus ratio n. 21. p. 364.*) dum inſerviunt. Qvocirca μακρόβιοι πλείους ὀδόντας ἔχουσι (*Hippocr. 2. Epidem. 6. t. 2. Ariſtot. l. 2. hiſt. animal. c. 3.*) Qvamvis hîc opponat *Cardanus Scaligero* (*Exerc. 271. ſ. 1. p. 817.*) Auguſtum Cæſarem Septuagenarium ſcabros dentes habentem, oculi tamen ejusdem ſplendidi & vibrantes Naturæ bonitatem declararunt, qvod reponit *Bikkerus* (*Tom. 1. Hermet. rediv. ſ. 1. c. 1. p. 28.*) Res ergò pretioſæ & utiles cum ſint dentes, non tantùm ſepultura eos privare voluerunt, ſed & Incolæ in Cua Cavilca Americæ Inſula eos qvi excidebant Diis ſacrificabant. (*vid. Gothofr. Schulzius deſcr. orb. p. 228.*) Forſan & inde Onirocritici dentis inſomnio jacturam amici mortem portendere concluſerunt.

§. 11.

Cur verò in viventibus tàm facilè corrumpantur, hîc non ſine

cauſa

caufa qværitur, in mortuis contrà durent? Caufæ poſſunt allegari variæ. Ætas hûc referenda, dum nimirum aut confiſtentem non attigêre ætatem, aut eandem fuperârunt, & ad ætatem vergunt caducam: Nutrimenti corruptio, aut impedimentum. Prius Gingivæ Scorbuto aut aliis humoribus acribus obſeſſæ præſtant; poſterius lapis ille dentalis (qvamvis & hic & illæ etiam concurrere posſint) qvi nec cibi nec potus, nec ſalivæ productum, ut rectè *Helmont.* (*tr. Alimenta Tartari inſontia n. 22. 23. p. 200.*) ſed excrementum gingivarum, qvod ut erat ex præparato cruore pro nutritione dentis; ita qvoq; ſuſcepit aliqvalem determinationem, ſive potentiam dentalis duritiei, ut *idem* (*c.l.n. 24.*) loqvitur. Notandum præterea *ex eodem* (*cit.l.*) dentem nedum in ſui fundo ſive radice nutriri, ſed etiam lateraliter ex ipſis gingivis. Teſtes ſunt ipſæ gingivæ cruentæ, vel minus ſanæ, dentibus non aptè cohærentes, qvod caveas ſive foſſulas ad dentem malè nutritum, abinde ab ſuæ indiſpoſitionis exordio relinqvant, dentemq; nigrore extravenati ſui cruoris tingant. Calidiorum uſus huc facit. Inde tritum:

Pultes ferventes faciunt corrumpere dentes.

Frigidum dentibus hoſtile, nam ſenium eorum accelerat (*Helmont. c.l. n. 26. p. 201.*) qvod nec *Hippocrati* ignotum, qvi τὸ ψυχρὸν πολέμιον ὀδοῦσι pronunciavit (*ſ. 5. aphor. 18.*) De acidis ne dubitemus, ſtupor, qvem dentibus relinqvunt, indicio eſt. Obiter hic addimus è *Bontio* (*l. 1. de Med. indor. c. 5. f. 25.*) de fructibus Billinbing, qvibus nihil acidius naturam protuliſſe putat. Si cui dentes ex cibis acidis afficiantur, his comeſtis omnis aciditas evaneſcit, fermè ea ratione, addit, qva major dolor minorem obſcurat. De Lacticiniis evolvantur *Salernitani* (*c. 2. add. not. Arnoldi Villanovani f. 9.*) Dulcia imprimis ſaccharum eadem notat macula *Sennertus* (*lib. 2. Med. Pract. part. 1. c. 10. p. 22.*) Qvamvis, qvod obſervandum, ex prædictis qvædam ſaltem per accidens dentes inficiant, gingivas dum corrumpunt. Excludit illa corruptio verminoſam progeniem, qvæ ſtrenuam hîc ſuam locat operam, ut petroſæ dentium ſtructuræ mors non aliter ut Saxis marmoribusq; (*vid. Ephemerid. Tom. 2.*

pag.

pag.371.) veniat. *Hoc addendum in Scorbuto aliqvando humorem acrem & putrilaginoſum prius maxillas, & demum dentes corrumpere, qvod ante annum hic in Textore adverti, cui Chirurgus magnam partem inferioris maxillæ corruptam extraxit.

§. 12.

Mercurium qvi crebriùs ſumunt aut tractant dentium incurrunt cariem & fœditatem. Aurifabris inde dentium fœditas familiaris, & alia Symptomata. Exempla collegit *Schenkius* (*l.7. obſ. med. p.891.*) De argenti vivi excoctoribus idem *Agricola* (*l.9. de re metall. p.m.344.*) Ad formæ Artifices qvæ confugere conſvevêre fœminæ, faciemq; Mercurialibus purguriſſare ſolent, deformitatem ut pallient, idem experiuntur, qvod *Fonſeca* (*Tom.5. Conſultat.46.*) & alii notarunt. Qvod qvomodo Mercurius patret *Helmontius* (*tr. Catharri deliramenta n. 60. p.360.*) explicatum dedit. Fontes qvibus Mercurius vivus junctus idem concitant (*Agricola lib.2. de Nat. eorum qvæ effluunt ex terra pag.542.*) & talis fons ille peſtifer, de qvo *Plinius* (*l.25. cap.3.*) qvi exercitui Germanici Cæſaris tot incommoda creavit, adeò ut illum vero Scorbuto laboraſſe mihi non videatur veriſimile, prout non ita pridem in qvibusdam de Scorbuto obſervationibus *Viro Experientisſimo Dn.D. Möllenbroccio Phyſico Hallenſi Clarisſimo, Collegæ honorando* transmisſis notavi. Oleo ſeu Spiritu vitrioli dentium pravum colorem corrigere qvi tentant, dentibus, qvamvis id non attendat *Foreſtus* (*l.14, obſ. med. 13. p.114.*) idem malum accerſunt.

§. 13.

Puerum annorum ſeptem in pago VVeigelsdorf in Sileſia Chriſtophorum Müllerum anno demum ſeptimo aureo ſuperbiiſſe dente anno 1593. *Jacobus Horſtius* commentario (*de aureo dente maxillari pueri Sileſii*) divulgavit, eumq; partim prodigioſum, partim naturalem (qvod miraberis ſi ejus de modo generationis & nutritionis diſcurſum *p.55. & ſeq.* perleges.) pronunciavit. Pro vero etiam propalavit *Thuanus* (*hiſt. l.104.*) Fucum tamen ſubfuiſſe detexit

D.Chri-

D. *Christophorus Rhumbaumius* & laminam orichalceam denti inductam Uratislaviæ demonstravit (*vid. Sennertus l. 2. Med. Pract. part. 1. c. 13. p. 50.* junge huic *Duncan. Liddelium l. de aureo dente.*) Qvod si naturaliter contigisset, multùm illam de auro in Cranio hominis invento narrationem, qvam ex *Alberto Magno* suis inseruit *Borellus* (*Cent. 1. obs. med. phys. rar. 10. p. 17.*) illustrasset. Sed de Metallis in homine & plantis alibi (*L. 1. de plant. monstros. Exerc. 1. s. 3.*) pluribus. De ferreo viri Patavini dente *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. obs. 24.*) Qvod qvomodo contingat, alibi (*l. 1. de Plant. monstros. Exerc. 1. s. 3.*) à nobis docebitur. Prodigiosi talismodi dentes ob materiæ soliditatem nec temporis metuent dentem, corruptionem putrilaginemq;.

§. 14.

Nec id miraculo carere videtur, qvod post mortem demum gravissimis à dentitione symptomatibus, qvæ recensuit *Hippocrates* (*s. 3. aph. 25.*) sublati infantes dentes enitantur. Pueros multos vidi, *refert Borellus* (*Cent. 1. obs. 97. p. 96.*) ob dolores insignes à dentitione gingivis valdè tumefactis, mortuos, post mortem verò dentes nascebantur.

§. 15.

Accidit id, qvia spirituum & humorum furor gingivarum parturiens tumorem, soluto animæ cum corpore commercio, oppidò evanescit. Detumentibus igitur gingivis in conspectum trahuntur dentium aculei, aut potius mortis spicula.

§. 16.

Retulit præterea Autor mirabilium *allegante Kornmanno* (*part. 3. de mirac. mort. c. 42.*) tempore Imperatoris Tiberii in Sicilia cadavera aliqvot mortuorum effossa fuisse, qvorum dentes longitudine pedem viri superarint.

§. 17.

Sub terra eos in tantam molem excrevisse, putat *Kornmannus* (*c. l.*) qvàm benè, ex infra docendis (*l. h. tit. 10. §. 14.*) constabit. Aut igitur fabula erit prædicta narratio, aut bestiarum dentes humanis substituerunt deceptores. In urbe Scassem in Perside Apros adeò grandes esse commemorat *Marcus Paulus* (*l. 3. c. 35.*) ut bobus comparentur, qvorum molaris dens aliqvàndo compertus est pondo

duodecim. Dentes elephantorum aprorumq; similes obtinere balænas Norvvagiæ *Olaus Magnus* (*l. 21. c. 8.*) prodidit. De bellua in Gaditana littora expulsa, cujus dentes maximi dodrantium mensura, minimi semipedum, evolvendus *Plinius* (*l. 9. c. 5.*) Qva de causa dentes molares giganteos qvamplurimos se vidisse annotat *Thom. Bartholin.* (*Cent. 1. obs. anat. 98.*) sed partim eqvinos, partim bubulos, partim arte effictos. Adde si libet *Ol. Wormium* (*l. 3. Mus. c. 26. f. 343.*) & ea qvæ infra (*tit. 10. §. 19.*) subjunximus.

§. 18.

Claudat agmen ex antiqvioribus depromtum illud *Plinii* (*l. 7. c. 16.*) Hominem priusqvam genito dente cremari mos gentium non est. E recentioribus *Helmont* suum conferat Symbolum. Ita autem (*tr. Tumulus pestis p. 857.*) Dens â cadavere extinctis viribus defuncto qvemlibet dentem hominis vivi solo attactu marcescere excidereq; cogit. Qvod non item præstat dens è cadavere violenta nece interemto, vel acuto mox morbo extincto. Rationem ex supra dictis (*tit. 1. §. 37.*) facilè colliges.

LIBR. I. TIT. VII.

De Cordis augmento & in igne duratione.

Summaria.

ÆGyptiorum vivacitas. Cur ultra centesimum vivere non dicantur. Experimentû â cordis incremento & decremento. Terminus vitæ. Cur nos vitæ brevioris. De brutis. Ultra centum annos vitam posse extendi. Experimentum Ægyptiorum rejicitur. Cordis inusitata magnitudo secundum naturam. A causis præter naturam. Cur crescere apud Ægyptios Corda videantur. Qvædam de corde singularia. Cor non cremari aliqvando. Causæ supernaturales. A malis Geniis. Pinguedo circa Cor. Morbi cordis. Igni obstat viscerum humiditas.

Pul-

Pulmones. Mediaſtinum & Pericardium. An pinguedo qvid poſſit. Cordis Parenchyma. Contenta Cordis. Homines in igne viventes. Ignem impunè tractantes. Animalia ex igne provenientia. Salamandra. Partem qvibusdam eſſe igni contrariam. Noſtra mens. Reſpondetur Paracelſo & aliis. Ignis vehementiam qvæ reprimunt. Nulla ex igne generari animalia. Salamandræ hiſtoria examinatur. Cur in igne vivat? Cur veneno extinctorum corda non crementur. Nullam dari partem incombuſtibilem. Qvomodo Corda incombuſtibilia dicenda. Qvare caro viva citiùs aduratur qvàm mortua. Cur veſicantia mortuam non veſicent.

§. 1.

VIvaces eſſe Ægyptios, ut etiam ad nonageſimum pertingant annum è *Proſpero Alpino* (*l. 1. de Med. Ægypt. c. 11. f. 18.*) ſcimus. Cauſam hujus vivacitatis rejicit in ſimplicem victum & Nili potum (*c. l. c. 12. f. 20.*) Turget namq; Nili aqva, *ſecundum P. I. Fabrum* (*l. 4. Panchym. ſ. 2. c. 17. p. 453.*) ſpiritu Salis fixo, ſpirituq; volatili vitæ mundi, Crocodilus prætereà à venenatis qvalitatibus aqvam ejus purgat, attrahendi ſua facultate & energia.

§. 2.

Qvamvis verò hæc ita ſe habeant, ultra centeſimum annum hominem vivere poſſe illi inficiantur. Putarunt namq;, referente *Plinio* (*l. 11. hiſt. nat. c. 36. f. m. 86.*) Cor in homine ſingulis annis usq; ad qvinqvageſimum ad binas drachmas creſcere, à qvinqvageſimo autem ſingulis annis tantundem detrahi, adeoq; defectum Cordis homini, ut occumbat, ad centeſimum ſi vergat, neceſſariò injungere dictitant.

§. 3.

Aſſerto huic ut fidem concilient ad experientiam provocant, qva ſe illud obſervaſſe in hominum demortuorum cordibus liqvori Cedrino immerſis & aſſervatis gloriantur, ut addit *Joh. Bikkerus* (*Tom. 1. Hermet. rediviv. c. 1. ſ. 1. p. 26. & 27.*)

I 2 §. 4. Qvæ

§. 4.

Qvæ terminum vitæ ſpectant, hic adducere non libet, cum de eo ſatis diſputarint, cùm alii, tùm imprimis *Benerovicius* (*tr. de Term. vit.*) & nuper *Nobilisſimus noſter Collega Dn. D. I. D. Major:* (*part. 1. dub. circ. Chirurg. infuſ. Dub. 2. p. 136.*) Cur antediluvianis longior ætas conceſſa, rationes ex aliis collegit, *urbis ſuæ orbisq; decus immortale celeberrimus D. Sachſius* (*l. 1. Gammarolog. curioſ. c. 23. §. 3. p. 502.*) Horum longævitatem ſunt, qvi opus providentiæ, non Naturæ appellent. (*Vid. D. Friedlieb obſ. Bibl. ad Geneſ. c. 5. p. 36.*) Ut idcircò non audiendus *Rogerius Bacon*, qvi apud *Jonſtonum* (*tr. de Conſtant. Nat. propoſ. 5. art. 1. p. 4[illegible]*) tradidit, Patres ſingularem ſingularium medicamentorum ſenectutem retardantium notitiam obtinuiſſe.

§. 5.

Atropos illa, qvæ ſpem longioris vitæ, qvò minùs inchoëmus, vetat, eſt intemperantia. Sera Venus priſco ævo commendata ad coporis robur perfectamq; corporis ſtaturam apprimè faciens (*Vid. Magnus Conringius l. de habit. Germ. cauſis p. 46.*) à noſtris non obſervatur, adeoq; pueri & puellæ generant pueros & puellas, Kinder zeugen Kinder/ hoc eſt morbidos, debiles, exſuccos. Vino ſepulti coïtum appetunt, & dum generare intendunt, occidunt. Plura dabunt *Mart. Panſa* (*part. 1. de prorog. vit. paſſim, cumprimis c. 56. p. 206. & ſeq.*) *Grembſius* (*l. 3. arb. integr. & ruinoſ. hom. c. 1. p. 456.*) *& alii.*

§. 6.

Bruta id nos edocere poterunt, qvæ Naturæ veſtigia, dum legunt ejusq; ductum ſeqvuntur, eundem cum illis qvem â mundi cunabulis vixêre vitæ conſeqvuntur terminum. Inde *Virgilius aut alius Poëtarum* (*in Elegiâ de Mæcenatis obitu*):

Redditur arboribus florens revirentibus ætas,
Ergò non homini, qvod fuit ante, redit.
Vivacesq; magis Cervos decet eſſe paventes,
In qvorum torva cornua fronte rigent?
Vivere Cornices multos dicuntur in annos,
Cur nos anguſtâ conditione ſumus?

Des id non mutatæ Naturæ, ſed vitæ.

§. 7. Ul-

§. 7.

Ultra Centum annos autem vitam noſtram ſe non extendere poſſe, ut Ægyptii docuerunt, experientia reclamat. Nolo Exempla coacervare ab hiſtoricis notata. De Antediluvianis res clara eſt. Anno 1151. in Galliis vixit 372. annos Caroli Magni armiger Johannes de Temporibus (*Cureus Annal. Sileſ. part. 1. p. m. 46.*) VVilhelm. Barneslai in Anglia 126. annos complevit, centeſimo viduus factus conjugium iterum iniit. (*Olear. l. 3. Itin. Muſcov. Perſia. c. 25. p. 289.*) Gemella recitat *Borellus* (*Cent. 2. obſ. 39. p. 138.*) *Sachſius noſter* (*c. l. p 507. §. 8.*) De Braſilianis *Gvilhelm. Piſ.* (*l. 1. de Medicin. Braſil. p. 6.*) qvod poſt centeſimum ætatis annum viridi & longæva ſenectute potiantur. Addit idem Europæis ibidem degentibus contingere. Cauſas ſubdit has (α.) qvia athleticis nati parentibus (β.) curis non macerantur, & voluptates ignorant. (γ.) Eodem ſemper victu & amictu eoq; ſimplici gaudent. (δ.) Nullus illis habendi amor, paupertatiq; ſe addicunt voluntariæ, ut, cui plus eſt, lubens impertiat aliis minus habentibus, pari dandi & poſcendi facilitate.

§. 8.

Cum igitur Ægyptiorum aſſerto ruborem excutiat experientia, qvid ponderis probatio adducta in ſe habeat, ponderandum veniet. Verbo. Traditio eſt inanis, ſomnium vigil. Creſcit cor in vivente tamdiu, qvamdiu reliqva ſecundum naturam viſcera creſcunt. Ad terminum ubi collimavit qvantitas, à motu iſto feriatur.

§. 9.

Qvæ inuſitatam cordis magnitudinem ſecundum naturam factam referunt obſervationes ſunt rarisſimæ. Cor magnum & amplum, ſed, qvod mireris, ſine pericardio nullove vel minimo veſtigio illius notavit *Tulpius* (*l. 2. obſ. med. c. 25. p. 143.*) totum ferè thoracem replens in Eqvite Guichardino vidit *Laurentius* (*l. 9. Anat. qvæſt. n. p. 803.*) Tres ſinus, qvos omni majori animantum generi tribuit *Ariſtoteles* (*l. 3. hiſt. part. anim. c. 4. p. m. 478.*) in Veneto velaturam faciente animadvertit *Æmilius Pariſanus* (*l. 6. nobil. exercit. 1. c. 1.*) Bina corda in Paphlagonia perdicibus tribuit *Plinius* (*c. l.*) qvod in Gallo etiã deprehendit *Galenus* (*l. 7. anat. adminiſtr. c. 11.*) in Gallina *Rudbekiø* (*obſ.*

anat. 18. p. 331.) Cor cum duobus capitibus *Avicenna* (*11.3. tr.1. c.1.*)

§. 10.

A caufis præter naturam Cordis mutari magnitudinem fæpiùs legitur. De qvodam palpitatione Cordis laborante videatur *Harveus* (*de mot. Sangv. exerc. 2.*) De Philippo Nereo Sacerdote idem *Cæfalpinus* (*l. 6. art. med. c. 20.*) De Sanctio à Valefco *Chriftoph. à Vega* (*l. 3. art. medic. f. 6. c. 8.*) De Cordis excrefcentia in Sacerdote perpetua laborante palpitatione obfervationem *Garneri* communicat *Schenkiùs* (*l. 2. obf. med. p. 286.*) Venena affumta cordis augent magnitudinem. Narrat *Petrus Pavvius* (*obf. anat. 21. p. 35.*) in viro veneno fublato Cor triplo qvam pro confvetudine & Subjecti proportione majus apparuiffe, ut tumidum dextra fui parte univerfum thoracis latus repleret.

§. 11.

Hæc in viventibus. Vita ceffante nihil vitalium actionum remanebit. Inde acutiùs qvam veriùs verisfimè illud dictum cenfuit *P. Crinitus* (*l. 7. de honeft. difcipl. c. 8.*) & fabulam arbitratur *Riolanus* (*l. 3. Anthrop. c. 12. p. 234.*) Interim non negarem penitus juniorum nec lenta morte fublatorum Corda liqvori fpirituofo & balfamico concredita in principio ad tempus in tumorem poffe elevari, partim ob liqvorem attractum, partim ob novam concitatam fermentationem, qvi tumor credulo imponere poffet, revera augeri & crefcere nobile illud vifcus.

§. 12.

Allegavimus autem Corda Juvenũ non lenta morte extinctorũ. Obfervatum namq; fuit fæpius Cor tabidum, qvo de evolvatur *Zacutus* (*l. 2. Hift. med. princ. dub. 26. p. 256.*) tabo fluens (*Olaus Borrichius ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epift. 7. p. 330.*) ulcere corruptum, qvod lanio Oxonienfis in bove faginato demonftravit *Highmoro* (*l. 1. duqvif. anat. part. 3. c. 3. p. 66.*) penê abfumtum in Cadavere Principis Regiæ Mariæ Auriacæ viderunt Londinenfes (*vid. Ol. Borrichius ap. Th. Barthol. Cent. 3. Epift. 85. p. 368. & ipfe Bartholin. diff. d. Hep. def. p. 29.*) Plura de qvæftione an cor posfit putrefcere? *Sennert.* (*l. 4. d. Febrib. c. 8. p. m. 486.*) In his fanè Cordis fruftra expectabis augmentum, cum vix adhuc Cordis nomen mereatur.

§. 13. Il-

§. 13.

Illud Cordis singularibus meritò accensetur, qvod aliqvando reliqvis ab igne partibus consumtis, cremari non potuerit. Miraculo hanc rem proximam qvidam asseruerunt, causamq; supra naturalem allegarunt. De Johanna virgine fortitudine plusqvam virili celebri ex aliis recitat *Kornmannus (part. 3. c. 39. & part. 1. Temp. Nat. conclus. 22. p. 69.)* qvod, cum in hostium Anglorum manus venisset, rogoq; imposita & in cineres redacta, in innocentiæ signum cor ejus miraculo qvodam ignis eluserit furias. Versus *Valeriani Theologi Parisiensis* subjungit seqventes:

Postremò enituit pietas in morte puellæ,
In cinerem cunctos dum flamma resolverat artus,
Illæsas cor habet venas (mirabile dictu)
Nec sinceri animi temerant incendia sedem,
Albaq; tunc visa est igni prodire columba,
Et petere æthereos multis spectantibus orbes.

De Corde Zvvinglii gemella ferè *Thuanus (l. 1. hist. fol. m. 17.)* Religioni, inqvit, tributum à Tigurinis, & qvi cum illis stabant qvod cadavere flammis ab hostibus tradito Cor exuri non potuerit, cum constet, addit, in qvibusdam esse corporis humani qvandam partem, in qvam ignis nil possit. Et paulò post: Adeò turbatis odio aut amore animis, ut fit in religionis dissensionibus, pro se qvisq; omnia superstitiosè interpretatur.

§. 14.

Malis Geniis id tributum ivere alii, à qvibus non dissentit *Del-Rio (l. 2. disqvisit. Magic. q. 25. p. 261.)* comprimis qvia aliqvos vivos eorum ope ignem innoxiè tractasse constet. De monstro ex concubitu Dæmonis nato refert *Sturmius (Calend. Sanctor. p. 405.)* qvod diu ignem sustinuerit. De Vatibus Ægyptiorum *Jamblichus, (de myster. Ægypt.)* eos cum Dei afflatu replerentur & incitarentur nonnunqvam ambulasse per medios ignes. Potest namq; Dæmon, concludit *Bened. Pererius (comment. in Dan. c. 4.)* hominem conjectum in Ignem multis modis servare ab incendio, tum restinguendo ignem, tum procul ab eo flammam repellendo: Præterea clam subtrahendo verum ignem, & in ejus locum alium simulatum ignem substituendo:

Ad hoc

Ad hoc ſubducendo hominem ex igne, & inibi ſimulacrum ejus relinqvendo: deniq; circumponendo illi corpus aliqvod frigidiſſimum maximeq; reſiſtens Igni, qvo videlicet hominis corpus ab incendio ad aliqvod tempus defendi & ſervari qveat.

§. 15.

Celeberrimus &, ut *Schenkio* (*l.1.Exerc. anat.2. ſ.1.c.31. p.184.*) vocatur *elegantiſſimus Highmorus Anglus* (*l.1.disqviſit.Anat. part.1. c.6.p.11.*) pinguedinis, qvæ cor veſtit, fixitatem allegat, ignis viribus reſiſtentem, qvod probabile experimentum vocat *modò laudatus J.Th. Schenkius* (*cit. l.*) Compertum autem ſcimus *ex Lindano* (*Med. Phyſiolog. c.6. §.152.*) aliqvando non ſolum Pleuram & mediaſtinum adipe pollice alto oblini, ſed & ipſum Cor incredibiliter opimum penè abſcondi ſub adipoſo ſevo. Ut adeò qvo copioſiori luxuriet adipe Cordis parenchyma, eò majori vi impetum ignis illud reddat irritum.

§. 16.

Cardiacus morbus, ut & venena aſſumta, ne flamma Cor depaſcendo in Cineres redigat, qvibusdam prohibere dicuntur. Ita *Plinius* (*l.11. hiſt. nat. c.37.*) De Cæſare Germanico *Svetonius*: (*in Caligul. c.1.*) Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione; nam præter livores, qvi toto corpore erant, & Spumas, qvæ per os fluebant, cremati qvoq; cor inter oſſa interruptum repertum eſt, cujus ea natura exiſtimatur, ut, tinctum veneno, igne confici neqveat. Hujus ſceleris cum poſtularetur Piſo, ut retulit *Plinius* (*c. l.*) à Viſellio in peculiari oratione, genere morbi (cardiaco morbo) defenſus eſt.

§. 17.

Nos corda cadaverum flammarum vim retardare, non impugnare penitùs valere aſſeveramus. Competit id etiam reliqvis viſceribus & inteſtinis ob humiditatem, qva gaudent, flammarumq; remorantur impetum. Ita ante annos aliqvot, cum incenſo ſtabulo ſeptem, nî fallor, numero vaccæ unà cremarentur, inteſtina & viſcera flammis incorrupta ſub cineribus delituêre. Accedit & hoc, qvòd ignis externa depaſcendo, non tàm evocet & coërceat, qvàm ad interiora ſibi contrarias pellat humiditates, prout lignum viride, ſi comburatur, id apertè monſtrat.

§. 18. Qvæ

§. 18.

Qvæ prætereà Cordi in igne perennitatem conciliant, partim Cor ambiunt, partim Cor ipſum conſtituunt, partim in Cordis fluctuant thalamis. Cor ambiunt pulmonum lobi, qvæ in humido agunt & ut actioni ſubſerviant commodius irrigationem moderatam expetit. Pulchrè *Aretæus. (l. 1. Chronic. c. 10.)* Qvemadmodum ſpongia, per naturam ſicca imbibit aqvam pro uſu commodo: Ita ſpongiæ ſimilis pulmo rarus & foraminulentus humorem haud moleſtè fert: Adde *Th. Bartholin. (Diatr. de Pulmon. ſ. 3. p. 57.)* Inde in montibus ad mediam aëris regionem vergentibus, ubi aër ſubtilis nec atomis aqveis imprægnatus, ambulantibus pulmonum motus coërceretur, niſi ſpongia aceto aut alio humore matefacta tabescentibus ſuccurreret lobis. Omnis namqve aër attractus, etſi condenſaretur in aqvam, vix guttulam unam daret, ex computo *Gaſſendi (Phyſiolog. Epicur. p. 298.)* ſecundum qvem aqva ex aëre condenſato creata implet vas centuplo minus. Deinde etiam ſangvine plerumq; in moribundis onerantur, & in ſubito extinctis ex irruente in pulmones ſangvine ibiq; reſtitante ob motum circularem ceſſantem cauſam mortis non ſemel in ſectione detexit *Th. Bartholinus (c. l. ſ. 2. p. 27.)*

§. 19.

Ab ignis violentia etiam Cor tuetur Mediaſtinum, omnium maximè autem Pericardium, qvippe qvod liqvore contento ignita temperat ſpicula. Idq; eò magis, qvia aqva illa, non eſt humor velut urina, ut Cor in veſica converſari exiſtimes, ut *autor l. de Corde*, qvi *Hippocrati* aſcribitur, ſentit. nec ex reſolutis circa membranam hanc vaporibus, ut placuit *Veſlingio (Syntagm. Anat. c. 20. p. 76.)* ſed ſeri portio, ut rectius *Hieron. Barbatus (Exerc. de ſangv. & ſerv. p. 30.)* ſeu lympha, qvæ carbonibus ignitis inpoſita non in vapores, ut aqva ſimplex, ſed in gelatinam (impropriè ſumto vocabulo, qvia non calori ſed frigori ortum debet ſuum gelatina) concreſcit, qvod obſervavit *Moinichenius (ap. Th. Barthol. Epiſt. 4. ad ſegem de lymph. p. 50.)* aut calore per ſpeculum cauſticum immiſſo in conſiſtentiam inæqvalem ſingularis odoris tranſit, ſolet etiam ſtrepitum edere exſiccato humore, qvæ *Roberti Boglei* obſervatio *apud eund. (Cent. 4. Epiſt. 92. p. 522.* adeoq; humor idem cum ſero ſangvini poſt venæ ſectionem innatanti reputatur à *Lovvero (tr. de Corde*

c. 1. p. 6.) qvi & frigus in gelatinam hunc humorem condensare juxtim notat in bovibus, in qvorum Pericardio post mortem magnam hujus gelatinæ copiam reperit (*ib. p. 7.*) Ne verò mendacii prædictos autores & nos arguant alii, qvi lympham hanc interdum concrescere non experientur, dicimus in sanis, non in ægris id procedere. In sanis namq; cum in pauciori sit qvantitate (*Claudinus Resp. med. 39. p. 233.*) glutine magis abundat præ eâ, qvæ aqva seu latice peccante corrumpitur, & qvantitate ipsi cordis mortui pausam imperat. (*Galen. l. 5. de loc. aff. c. 2.*) De hoc latice ita *Highmorus* (*l. 2. disqvisit. anat. part. 1. c. 6. p. 127.*) Coloris in sanis est limpidi, in Hydropicis aqvæ turbatæ similis, (qvamvis id non perpetuò) in aliis præcipuè febre morientibus acuta loturæ carnium assimilatur, ut in puero qvem anno 1640. dissecuit, observavit.

§. 20.

Pingvedini circa Cor aliqvid tribuerunt modo citatus *Highmorus & Schenkius* (*vid. suprà* §. *15.*) Nos minus capimus cum *Hieronymo Barbato* (*c. l. p. 31.*) qvomodo pingvia inflammationi resistant suapte natura facilè inflammabilia.

§. 21.

Cordis verò Parenchyma non prætereundum. Cor solida res est atq; densa, eam ob causam minimè dolore affligitur, ut loqvitur *Hippocrates* (*l. 4. de morb. p. m. 406.*) Imo musculus validus admodum vocatur *idem* (*l. de Corde p. m. 255.*) Musculum Cor ritè examinatum deprehendit *Steno novum Daniæ jubar.* (*Specim. de gland. & muscul. p. 4. & Elem. Myol. Specim. p. 68. adde Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. 70. p. 417.*) Cordisq; substantiam omninò muscularem asseruit *Lowerus* (*c. l. p. 17. 23. 57. & c. 2. p. 74. & sq.* Ergò compacta hæc substantia magis præ reliqvis partibus igni facesset negotium.

§. 22.

Contenta demum cordis serum & Sangvis in cordis ventriculis his venient jungenda. Ut vitrea metallica imò & lignea vasa humido repleta igni sine noxa imponuntur, humido verò absumto crepant, liqvefiunt aut comburuntur. Ita & Cor seroso-sangvinei liqvoris receptaculum. Pari modo vesica bubula qvasi tertiam partem aqvæ repleta prius à subtilisata aqva rumpitur, qvam à Subjecto igne corrumpitur.

§. 23.

§. 23.

Dari autem homines in igne viventes tanqvam in proprio elemento proditum legimus. Talis ſecundum *Rulandum (in Lexic.)* gentilis mulier Eziſer, qvæ ſtatim atq; infirmabatur ſeſe in ignē conjiciens reficiebatur in eo tanqvam in aliqvo balneo ſedens gaudensq;. Saldini tales vocantur. Alias creaturas ut omni Elemento, ita & igni ad evitandum vacuum creatorem tribuiſſe *Paracelſi (l. de Meſeor. c.4. & l.4. de ſignat.)* mens fuit. Nuncupat eas vulcanales, Pennates, Salamandras, Superos, qvorum monſtra *Zundel (vid. Gollius in præf. admon. Baſil. Chym. p. m. 15.)*

§. 24.

Qvosdam ignem impunè tractaſſe pariter conſtat. De Hirpiarum familia ita *Plinius (l.7. c.2.)* Haud procul ab urbe Roma in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, qvæ vocantur Hirpiæ, qvæ Sacrificio annuo, qvod fit ad montem Soractem Apollini ſupra ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non adimuntur. Adde *Pier. (l. 16. Hieroglyph. c. 25.)* Servam Æthiopicam ipſo præſente carbones nudis manibus ſive læſione tractaſſe *Petrus Servius (tr. de Ungv. Armar. in Th. Symp. & Antip. p. m. 539.)* narrat. Gemella habet *Th. Bartholin. (Cent. 6. hiſt. 80. p. 281.)*

§. 25.

Ex igne provenire animalia ſunt qvi tradiderunt. *Ariſtoteles* poſtqvam in nive vetuſtiores vermes naſci docuerat, etiam in igne beſtiolas oriri & vivere ſubjungit. *(l. 5. hiſt. animal. c. 19. p. m. 179.)* In Cypro inſula, inqvit, ærariis fornacibus ubi Chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur beſtiolæ in medio igne naſcuntur pennatæ paulò muſcis grandibus majores, qvæ per ignem ſaliant atq; ambulent. Emoritur & hoc genus & illud nivis alumnus cum alterū ab igne, alterum à nive dimotum eſt. Vocantur Pyrauſtæ aliis qvorum mentionem etiam faciunt *Ælianus (l. 2. hiſt. animal. c. 2.) Mercurialis (l. 3. variar. lect. c. 14.) Nirenbergius (l. 4. Hiſt. natural. c. 18.)* Pyrales *Plinio (l. 11. c. 31.)* De Avibus charyſtiæ ex *Antigono Salmaſius (Exercit. Plinia. p. 177.* De animalibus Macedonicis & aliis anonymis *Mendoza (l. 4. viridar. probl. 23. p. 258.)* De Pyrrhibiis *Schottus (l. 7. Phyſ. curioſ. c. 8.)* qvod in igne durent & vivant ſcriptū reliqverunt.

§. 26.

De Salamandra qvæ referuntur à Naturæ conſultis in vulgus nota

ſunt. In igne hunc ignibus invictum vivere, ignemq; extingvere plurimi è veteribus docent *Ariſtoteles (c.l.) Plinius (l. 20.c.67.) Ælianus (l. 2. c.31.) Theophraſtus(l.de igne p. m.145.) Olympiodor. (comm.in 4. Meteor.) Auguſtin. (l.21.de Civit. Dei c.4.)* Movit id Chymicos, ut Aurum Salamandram vocarent, qvia ſcilicet ob ſulphur incombuſtibile (eadem dictio eſt, judicat *illuſtris Boyle part.4.Chym. Scept. p.m.127.* æqvè ſana ac ſi dicas nox Sole colluſtrata vel glacies fluida) ignis monarchatum reſpuit. Movit id *Paulum Venetum* ut lapidem Amianthum (*teſte Boëtio à Boot. l.2. de gemm .& lap. c.204. p.190.*) eodem dignaretur titulo. Et Ægyptii hominem qvi igne non comburitur picta Salamandra ſignificarunt. (*Pierius c.l. & Maſenius l.6. ſpec. imag. c.6.*)

§. 27.

Qvid? qvod conſtet, ut ſupra ex *Thuano(tit.h.§.13*)innotuit in qvibusdam eſſe corporis humani partem, in qvam ignis nil poſſit. De oſſiculo Lus vel Luz Rabbinorum legitur (*ap. Spizel conſid.corp.glorioſ.§.16. p.39.*) Adrianus Imperator qvæſivit aliqvando ex R. Jeoſuah filio Hanina unde Deus benedictus germinare faciet hominem in futuro ſeculo? reſpondit ille ex Lus ſeu oſſiculo ſpinæ. Rurſus alter unde noſti hoc? Da mihi illud, inqvit ille, oſſiculum & Te docebo; contudit illud in mola, ſed non tuſus eſt, conjecit in ignem & non conflagravit; conjecit in aqvam & non attritum eſt, impoſuit incudi, malleoq; cecidit; ſed ne hilum comminutum eſt. Idem de Al-Aibi oſſiculo juxta os ſacrum Mahommedani (*Eduárdo teſte Pokokio Not. Miſcell. ad. Poſt.Moſ. c.6.p.117. & c. 7.p.255.*) De pollice in dextro pede Pyrrhi idem tradunt *Plutarchus (in Pyrrho c.5. p.m.5.) Plinius (l.7. c. 2.) Vairus (l. 1.de Faſcino c.11.)* De dentibus alii (*vid.h.l. Tit. 6. §.5.*

§. 28.

Concluderet qvis inde ſanæ rationi non adverſari nec naturæ ſi pars aliqva corporis aut totum cadaver non tantum in igne duret, ſed & irato Vulcano incolume evadat.

§. 29.

Allata tamen iſta facilè corruent ſi remotâ autoritatis baſi rationi obtemperemus Clariſſimorumq; Virorum experientiæ. Valeat Eziſer fanaticorum Helena creaturæq; igneæ Paracelſici Cerebelli fœtus abortiri. Sibilo his parentandum.

§.30.

§. 30.

Proſtant varia juxtim qvæ ignis vehementiam,ut impune tractari poſſit, reprimunt. Fabuloſa ſunt ſangvis Salamandræ, qvem pro inunctione recommendat *Andreas Græcus Medicus (vid. Scholiaſt. Nicandri in Alexiph. n. 74. p. 65.)* Cor Salamandræ geſtatum ſine timore contra ignem facit gerentem ac audacem contra incendium & incombuſtum, perhibet *Autor Kiranidum (Alphab. 2 p.m. 92.)* Propius ad veritatem accedit uſus viſci (qvod habet *Theophraſtus c. l p. 145.*) Mercurialis ac Portulacæ ſuccus *(Conciliator diff. 24.)* Ovum aut potius albumen ejus *(Plinius l. 29. c. 3.)* & illa qvæ collegit *Schottus (Mag. Univerſal. l. 2. part. 4.)* Tali Pharmaco Hirpias ſe muniiſſe è *Varrone* ſcimus, qvod *Servius* malè habet *(in l. 11. Æneid.)* qvi artificium illud Apollini acceptum retulit. Idem de Benedicto Teutonico *Pierius (c. l.)* Addit *Theophraſtus (c. l.)* fortiter calcando prunarũ vim infringi, qvod & de fortiori à manibus facta compreſſione intelligimus,ut in hoc cum urtica conveniat pruna

--- Qvam ſi qvis contingat molliter uret :
Et timidas lædet tacta borago manus.
Hæc tamen in trepido franguntur ſpicula preſſu:
Hacq; omnis ſubitò pellitur arte dolor.

(Nic. Taurellus Emblem. 2.) jungimus his callos manuum & pedum labore motuve continuo contractos.

§. 31.

Qvæ de generatione animalium ex igne recitantur aſſenſum noſtrum non referent, cum ex igne, qvi mors rerum poſitiva qvibusdam audit, nullum generetur animal ut alibi docetur. In igne generantur, non ex igne, ut nobis cum *Schottus (l. 7. Phyſ. curioſ. c. 8. §. 3. concluſ. 2. p. 811.)* De materia ex qva ita *Buſtamantius (l. 6. de animal. SS. c. 2.* Nihil fieri vetat ex igne elatis vaporibus viſcidis, natura algentibus parte aqvæ juncta miſtæ materiæ qvæ exuritur propitia cœli influentia in miſtis apta, æſtu medio progignentur, ut Pyrigona illa in fornace. Rectiùs & clariùs *Mercurialis (l. 3. variar. lection. c. 14.)* qvi potius credit ex terra metallis commixta ea prius nata accenſis fornacibus erumpere, qvam ex ipſo igne oriri. Pyrribia in flammis verſantur, non ut iis nutriantur ſed foveantur, ambiunt vaporem calidum ſaltem centrum in qvo maxima ignis activitas non penetrat, Dari verò poſſe anima-

lium genus qvod ignem toleret ut arbeſtum in eo *Schotto* (*c. l.*) minimè premimus pollicem.

§. 32.

De Salamandra qvæ proferuntur nil concludunt. Ignem tolerat parvum non magnum vehementemq; , qvamvis etiam ignem ſtipularum non ſine noxa qvandam pertuliſſe perhibeat *Schottus* (*c. l. p. 812.*) Mortua facile in cineres, viva difficulter qvamvis, reverà tamen, in cineres redigitur, ſi ultra tempus igni committatur. Moram duarum horarũ in igne non ita vehemente qvondam pertuliſſe vidit *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. hiſt. anat. 50. p. 260.*) Salamandræ uſtæ meminit *Dioſcorides*) *l. 2. c. 67. add. Matthiol. in comment.*) *Galenus* (*3. d. Temper.*) qvi & cineres præſcripſit (*4. d. med. ſec. loca.*) *Joh. Mercklein* (Oſt Indianiſche Reiſebeſchr. *p. 370.*)

§. 33.

Cur verò ad tempus ignem ferat variant itidem Autores. Pellis craſſitiem allegat *Albertus*. Clarius *Claremontanus* hanc explicavit (*l. 1. de venen. c. 29.*) dum ex limo Salamandram procreari exiſtimat, qvi limus deinde ita ſe in cutem inſinuet, igniq; refragetur. Audiendus hic comprimis *Th. Bartholinus* (*c. l.*) qvi de Salamandra Romæ à ſe viſa, Singulari artificio Natura dictante ignis calorem eluſit. Evomuit enim guttam liqvoris, qva ignis fervorem temperabat. Qvalis liqvor illi ſit ſi qværas venenatum dictitamus. Effectus de ſua cauſa teſtabitur. Salamandræ morſus tot Medicis opus habet, docet *Kircherus* (*l. 1. Art. magn. luc. & umbr. part. 3. c. 8. §. 3. Reg. 7. p. 94.*) qvot maculis diſtingvitur, ut eſt in proverbio, qvia colorum varietas & venenorum varietatem arguit. Nigrum autem obtinet colorem maculis flavis inſtar ſtellionis diſtinctam. Veneratam eandem pariter idcircò autumat *citatus Th. Bartholin.* (*c. l.*) qvia qvoties ejus Poſſeſſor Romæ Henricus Corvinus eam aperto vaſe vitreo propius aſpexit toties capitis dolore ſuperveniente receſſit. Plura de veneno Salamadræ terreſtris & aqvaticæ vide ap. *Schottum* (*c. l. §. 2. p. 808.*) Liqvorem iſtum haurit à terra natali. Iterum hic *Bartholini* verba adoptanda. Novem hic menſibus in vitro ſine cibo vixit, terrâ tamen, cum qva advenerat (non igne ut malè veteres) alimenti loco utebantur. Ex hac humidum omne exſugebat, qva exſiccata ſeqventi ſeptimana eundem liqvorem rejecit iteratisq; vicibus ſuxit & evomuit. Demum in aliam terram cœli noſtri impoſita, citò (ſine dubio alimenti convenientis penuriâ) mortua eſt.

§. 34.

§. 34.

Stante hac hypothesi, venena nempè qvædam sive frigiditate sive caliditate contra flamarum grassantium impetum obfirmare corpora, corda veneno, non tamen omni, extinctorum interdum ad tempus ignis prævalere violentiæ oppidò erit concludendum. Centrum namq; basinq; vitæ Cor confestim invadunt Cor, vivificumq; Nectar coagulant & ut è bonò Cive in detestandum transeat proditorem compellunt.

§. 35.

Qvæ de certa parte corporis nostri, qvæ putredinis aut corruptibilitatis excutiat jugum afferuntur Cerebri ad figmenta compositi fructus. De ossiculo Lus seu Luz & pollice Pyrrhi Regis opposita infra *(l.2.Tit.8.)* diluentur, de dentibus verò jam suprà (T. *6.l.b.*) fusiùs explicata leges.

§. 36.

Qvocircà firmo stat talo ἐπίκρισις illa *Excellentissimi Anatomici Adriani Spigelii:* qvi (in Epist. ad Guilhelm. Sophier.) corda ista ὑπερβολικῶς in combustibilia dici autumat, à cujus latere etiam autoritate sua stat *Magnus Jenensium Apollo Rolfincius (Dissertat. de Corde c.2. p.22.)*

§. 37.

Coronidem huic titulo suggeret *Helmontius (tr. de Lithios. c.9. n. 99. 100. & 107. p.729.)* viva caro dictitat, amburitur, facillimè, excoriaturq; ab aqva ebulliente. Mortua autem caro tardiùs crematur. Estq; alia ambustio, si viva manus, qvàm si cadaveris uratur. Siqvidem adustio vesicas minimo ardore excitat, sic ut idem etiam sub Sole contingat. Posterior verò combustio carnem torret non secus ac si assaretur, nempè absq; vesiculis & excoriatione. Concludit ergò vitam duntaxat esse diversitatis illius causam. Qvod est dicere vitam esse agens proprium sensationis in sensitivis: & vitam esse ejus modi causam, qvæ insuper vim habet ambustiones faciendi in vivis, & in materia medica, imò etiam resistendi vel non. Qvapropter reperio, pergit, vitam primarium efficiens ac immediatum sensus ac doloris. Siqvidem vis ignis recepta ac introducta in cadaver non est sensibilis; imò nec propriè ambustiva, qvalis in vivis: sed potius assativa vel tostiva. In vivis namq; liqvor carnis per indignationem animæ sensitivæ celeberrimè in acrem liqvorem convertitur ac substantialiter transmutatur: qvi in mortuis non

est

eſt vitali transmutationi obnoxius. Adeoq; inter fibras bulliendo & frixando carnes torret & aſſat. Caro enim mortua patitur per gradus, qvos alia corpora non ſenſitiva unico modo patiuntur ab igne. Verum in vivis etiam aqva bulliens ſtatim veſicas parat: pars ſolida dein velociter contrahitur & crematur. Idcircò iſta ambuſtionis actio in vivis ac ſenſitivis fit efficienter ab ipſa vita: ab igne autem effectivè per modum medii activi occaſionalis & externi. Vita nimirum ipſa ſentiens ignis rigorem acuit ſuum liqvorem, transmutatq; in veſicas ac dein in eſcharoticum liqvamen. Et qvantum ſcilicet ab igne corripitur tantundem poſtmodum per diſpoſitionem relictam corrumpitur, qvia mortuum eſt.

§. 38.

Nec negligenda illa qvæ (*c.l. p.730. n.103.*) ſubnectit. Conſideravi qvod Ranunculus, Apium, Flammula &c. non veſicent in cadavere. Veſicant tamen carnem vivam. Cenſui itaq;, qvod in ipſa anima ſenſitiva conſiſteret differentia hujus actus, & non primario in flammula. Qvippe qvæ tantùm veſicat, qvatenus mordicatione juſto acriore infeſtat hæc ſpiritus ſenſitivos, ut qvi ſenſatam acrimoniam mitigent, retundant aut extingvant, furit anima in illis, reſolvitq; ideò propriam membrorum ſubſtantiam vitalem in albumen corroſivum, qvapropter ipſamet anima ſenſitiva, ut immediata ſubſtantia ſenſitiva: Ita eſt cauſa efficienter effectiva; Flammula verò qvæ in cadavere operatur nihil, eſt cauſa effectiva occaſionalis, externa & excitativa. *Hæc ille.*

LIBR. I. TIT. VIII.

De Abdominis crepatura & viſcerum egeſtione.

Summaria.

CUr in viventibus abdomen diſtendatur. Aſcitici hiſtoria. Flatus qvid poſſint. Qvid venena. De Mercurio vitæ obſervatio. Qvæſtio proponitur. Cutem poſſe hydropicis crepare.

pare. Non ita totum abdomen. Rationes adducuntur. Arrii Exemplum expenditur. Hiſtoria de Juda proditore. Hydropicus à qvibusdam factus putatur. A qva cauſa crepuerit. Qvomodo qvibusdam dicatur ſtrangulatus. Goezii mens adducitur. Noſtra mens. Abdominis ruptio præternaturalis.

§. 1.

VAriis de cauſis viventibus diſtenditur abdomen. Flatus pariunt aliqvando id mali, prout colica flatulenta, paſſio iliaca, Melancholia hypochondriaca & Tympanitis id abunde probant. Nec humores criminis abſolvendi, qvod Aſcites evincit, & flatus & humores concurrere prædictus Aſcites, Scorbutus, aſſumtaq; venena liqvidò teſtantur.

§. 2.

Aſcites qvam monſtroſa magnitudine deturpet abdomen ex hiſtoria *Foreſti (l. 19. obſ. med. 37. p. 256.)* conſtat. Aſcite, inqvit, qvidam laborabat cujus venter tumidus erat & adeò elevatus, ut rumpi videretur: qvem cum manu percuterem aqva, ut in utre collecta, ſonabat. Cumprimis circa umbilici regionem ruptura ſæpè imminet, umbilicus dum prominet, qvæ etiam aliqvando præfatum tumorem inſeqvitur, atq; ita vi Naturæ qvod moleſtum eſt vaſis umbilicalibus hiantibus expellitur. Exempla curioſo dabit *Schenkius (l. 3. obſ. med. p. m. 439.)* adde qvod habet *Anton. Benivenius (obſ. med. 12. p. m. 217.)* Secuti ſolertiores medici Naturam viſceribus adhuc ſanis umbilico compuncto multos orco deſtinatos ſanitati dederunt Aſciticos, inter qvos cumprimis nominandus *Sanctorius*. Hiſtorias promas iterum è *Schenkio (c. l p. 452.)* cautelasq;, qvas *Sanctorius* medico Polono dedit à *Strausſio* additas (*p. 453.*) juxtim luſtres. Ab humore nigricante in abdomine contento cadaveri pueri febre peracuta mortui venter ſummè extendebatur, qvæ *Highmori* obſervatio eſt (*l. 1. disqviſit. Anat. p. 3. c. 3. p. 73.*)

§. 3.

De flatibus inteſtinorum memorabilis pariter narratio *Benivenii (obſ. 39. p. m. 242.)* virum novimus, ſcribit, qvem dolor in pleniori inteſtino exortus adeò cruciaret, ut nullo interim Spiritu erumpente medium hominem disjectum iri putares, cumq; fruſtrà multa auxilia adhiberentur, & non ſolum clyſteria in alvum demittebantur, eadem

prorſus ejicerentur, ſed & medicamenta qvoq; tam nihil ex ipſa alvo deponerent, ut iter hinc inde clauſum crederes. Tandem cucurbitula umbilico affixa ſoluta eſt umbilici ipſius unitas: indeq; ſpiritus craſſior erumpens & cucurbitulam ipſam disjecit & hominem omni amoto dolore priſtinæ ſanitati reſtituit. De flatibus hypochondriorum ita apud *Plautum* Leno Cappadox (*in Curcul. act. 2. ſc. 1.*)

Valetudo decreſcit, accreſcit labor,
Nam jam, qvaſi Zona, liene cinctus ambulo.
Geminos in ventre habere videor filios.
Nihil metuo, niſi ne medius diſrumpar miſer.

§. 4.

Qvis verò non videt à veneno hauſto abdomen in ſtupendam excreſcere molem, etiam poſt mortem *teſte Helmontio (tr. de flatibus n. 7 ... p. 344.)* Scito, ſcribit, ſub & poſt mortem iſtud fieri. Scitè verò ſubjungit. Neqve enim cadaver tumeſcit ob novæ materiæ acqviſitionem: Sed qvia vita eſt præcipuè in viſceribus, ideò habitus corporis à veneno primum contaminatur. Corruptio autem carnis ſemper eſt in ſapore acido, (inſigni nempè myſterio fermentata vetita leguntur Judæis) ſubita ergò & atrox corruptio in carnes impingens etiam flatum & tumorem in illis gignit.

§. 5.

Idem non tantum à venenis ſed & medicaminibus Chymicis Mercurialibus ante obitum hauſtis contigiſſe mihi fidem fecit *Medicus qvidam celeberrimus.* Cum enim ægro duobus ante obitum diebus qvidam Mercurium vitæ κατ' ἀντίφρασιν dictum propinaſſet, non ſolum poſt mortem abdomen intumuit, ſed & σκύβαλα altera à fato die, non aliter ac ſi vivus purgaretur, aliqvoties egeſſit. Poſt ſyrupos copiosè propinatos cadavera cum ſpuma tumida, ob fermentationē à Saccharo concitatam vidit *famigeratiſſimus Becherus (l. 1. Phyſ. ſubterr. ſ. 5. c. 2. n. 73. p. 35...)*

§. 6.

Dum igitur ante & poſt mortem cadavera intumeſcunt, non vana nos tenet ſolicitudo an tumore creſcente abdomen tandem diſrumpi poſſit?

§. 7.

Huic qvæſtioni ut eò meliùs ſatisfaciamus, dicimus non qvæſtionem

nem esse de ruptura cutis abdominis, aut umbilici, qvippe qvæ veneno sublatis rarius, hydropicis freqventiùs post fata solet accidere. Cutis namq; qvo magis extenditur, eò magis de crassitia sua remittit, magisq; in rupturam inclinat. Supervenit fato ferociens humorum fermentatio, flatusq; cutis distensioni summoperè velificantes. Ne igitur sqvalorem & fœtorem ingratum cadaveri affricet luxurians humor, circa umbilicum aut in latere dextro Chirurgi scalpello abdomen aperiunt, aqvæ ut in tempore commodus paretur exitus. Sie zapfen das wasser ab daß die leiche nicht aufffpringe.

§. 8.

In hoc comprimis occupati erimus an in defunctis secundum naturam abdominis regio vi rumpi possit, & qvidem ita ut intestina & viscera in conspectum veniant, aut etiam egerantur & propendeant.

§. 9.

Id verò omninò negamus. Abdominis structuram modò qvis ponderet, suoq; puncto nostrum obsignabit assertum. Cum osseum prout pectus abdomen extruere inconveniens judicaret Natura, ejus partes post cutem pigvedine munire voluit, succedit huic panniculus carnosus, post carnosorum musculorum rectorum, obliqvè ascendentium, obliqvè descendentium & transversalium qvatuor paria eidem super induxit. Nil dicam de Peritonæi membrana, nil de omenti duplicatura. Hoc tantum addam intestinorum spiras ne abdomen gravent à Mesenterio coerceri, & variis in locis circa renum regionem lumborumq; vertebras idcircò annecti. Epar ne propendeat suspensorium inhibet, ne Lien, ejus cum ventriculo connexio.

§. 10.

His rationibus nostris obstare Exempla ex historia sacra seu Ecclesiastica nobis posset opponi. De Arrio sanè *Athanasius (Epistol. ad Serapion.)* in nugis suis totus, ad sedes necessitate ventris compulsus se contulit, pronus cecidit ac medius crepuit, *Sancti illius fidei nostra propugnatoris Athanasii* fidem in dubium hic vocare qvamvis nobis religio sit, tamen ut notat *M. Jacob. Ræserus (Disp. Philolog. 2. de mort. Jud. §. 6.)* de ejus interitu non convenire Autores cœtera ignotum non est. Et cum de crepatura naturali à nobis qvæstio proponatur, eandem sanè divinitus immissam pronunciamus, cum jam tantùm non ad summa pervenerat Arriana hæresis.

 §. 11.

§. 11.

E sacris etiam literis in contrarium advocari posset abominandus Salvatoris proditor, Judas, de qvo ἐξεχύθη τὰ σπλάγχνα, effudit viscera *ap. Lucam (Actor.c.1.v 18.) Lutherus* ita vertit: Er hat sich erhencket und ist mitten entzwey geborsten/ und alle sein Eingeweide ausgeschüttet.

§. 12.

Ut igitur qvomodo abdominis illa crepatura & viscerum effusio contigerit explicent Interpretes in varia scinduntur agmina. Ne falcem in alienam messem immitterere videamur, potiores saltim libabimus interpretationes, nostramq; subjungamus epicrisin.

§. 13.

Sunt qvi Judam hydrope correptum diem obiisse suam referunt, *Oecumenius (Comment. in Act. 1. v. 18.)* ex mente aliorum narrat, Judam ex qvo à proditione in villam suam (qvam malè triginta argenteis proditionis mercede sibi comparasse scribere non verentur) discessisset, adeò intumuisse, ut ne qvidem progredi potuerit ea via, qva plaustrum agi levi cursu svevit. Solum caput currus spacium exclusisse oculorumq; palpebras tumentes omnem oculorum (non aliter ut de furnario Hydrocephalico refert *Montuus de pragmat. inf. p. 8.*) conspectum ac usum obliterasse. Adjunxit his malis se incredibilis pudendorum caries & fœtor qvi etiam post mortem prædio isto summum affricuit sqvalorem. Id ut etiam è sacris confirmaret *Heinric. Stephani (Comment. in Actor. c. 1. v. 18.)* in Codice non πρηνὴς γενόμενος (pronus cecidit) sed πρησθεὶς γενόμενος (tumidus factus) legendum esse putavit.

§. 14.

Qvid crepaturam illam produxerit, si qværas, aqvam ferocientem qvidam allegant. Cum verò aqvæ soli intercuti tantam violentiam ascribi posse desperent alii, alias finxêre occasiones. Qvam *Papiæ Johannis Evangelistæ discipulo* ascribunt hæc est *teste Baronio (Tom. 1. Annal. f. 69. p. 527)* Corpus tumidum plaustro oppressum collisumq; scelesta scelesti proditoris evomuisse viscera. *Thomas Bartholin. (Consil. Med. de Comet. p. 114.)* cum melancholia cum Hydrope complicata laborare potuisse conjecturatur eò qvod λακεῖν crepaturam cum sonitu, πρηνὴς γενόμενος verò incessum melancholicis similem declaret. Si igitur, inqvit, ab interno principio animæ commeatus Judæ melancholico ob-

obstructus fuit, præceps in solum lapidosum factus tumidum aqva & atra bile ventrem disrumpere potuit, ut viscera interna effunderentur. Ita narrat *Mich. Job. Paschalius (l.1. Meth.cur. morb.c. 44.)* de muliere Ascitica, qvæ ex casu in lapidem vulnerata per vulnus ventris subitò omnem aqvam evacuavit, & in animi deliqvium incidit.

§. 15.

Qvibus Paradoxa hæc sordent, Judam fuisse strangulatum ex illo *Matthai (c. 27. v.5.)* probant. A qvo verò, non æqvè liqvere asserunt. Ἀπήγξατο namq; passionem notat, strangulatumq; ἀπαγχόμενος apud *Hippocr. (s. 2. aph. 43.)* h. e. Anginæ Specie Cynanche dicta ab ulcere in interioribus laryngis faucium occludente angiportum detentum. Et hoc morbo à prima infantia laborasse Judam addunt, indeq; vocatum Ischariotem seu anginosum. Autores hujus opinionis habemus *Grotium (in not. ad Math.p.474.)* & *Heinsium (in exercitat. Sacr. ad Act. c.1.p. 247.) non ignobilia seculi sui sidera*. Dedit autem huic morbo ἀκμὴν melancholia à prægressi sceleris recordatione. Allegant etiam *Ælianum*, ut vim verbi ἀπήγξατο accuratius explicent, qvi ita de Socrate & Polyagro *(l.5. variar. hist. c.5.)* Σωκράτης μὲν κωμῳδούμενος ἐγέλα πολύαγρος δὲ ἀπήγξατο. Socrates in Comedia traductus ridebat. Polyagrus verò perturbatione animi strangulatus est. Alii vero Melancholia commotum Judam se saltu præcipitem dedisse volunt *(vid. Vossius l. 2. Harmon. Evangel. c. 3. p.217.)* ut de eo dici potuerit illud *Lucani (l.2.)*

> Hic se præcipiti jaculatus pondere dura
> Dissiluit percussus humo.

Et hoc verbum ἐλάκησε medius crepuit optimè convenire arbitrantur.

§. 16.

Cum verò hæc enarrare sit refutare, aliiqve horum discussioni suam non ita pridem locaverint operam in alma Salana *M. Georg. Gæzius (in Diatrib. Academ. de suspend. Judæ)* In Leucoreâ verò *M. Jacob Ræserus (Disp.1.& 2.de mort. Judæ)* Aliam eamq; ut probabilorem concepit *citatus Gæzius (c.l.§.25.)* dum scribit: Maximè probabile est, qvod Diabolus Judam, cum post projectos in templum proditionis suæ nummos recederet, ad suos forsan reversurus rapuerit in sublime, strangularit atq; præcipitem dederit, ita ut ad terram allisus ruptus sit medius, vel omninò Diabolus eum ruperit, effuderit omnia intestina illius, atq; sic

 hor-

horrendo exitu egressus fuerit. Examinavit hanc conjecturam *Ræserus* (*Disp. de mort. Jud.* §.3.) Nostri fori cum non sit

Nostrum etiam non est tantas componere lites.

Comprimis cum *Magnus ille Theologus B.Dorscheus* (*in Theologo Latrone p. 184.*) ipse fateatur nondum explicatum esse qvo pacto ad hanc aut illam interpretationem cöincidere queant τὸ ἀπήγξατο, & τὸ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος.

§. 17.

Nos Judam laqveo sibi fauces præclusisse putamus autoritate moti Evangelistæ. Habuit id omnis retrò antiqvitas persvasum, ut patet *ex Augustino* (*l.1. de Civ. Dei c.17.*) & aliis. Arrisit ea opinio pariter celebrioribus nostræ Ecclesiæ fulcris, prout quædam ex illis citat *Roeserus* (*c. l.* §.7.) Instar omnium sit *Magnus Gerhardus, qvantus Theologus!* (*in not. ad c.27. Matth. p.1183.*) An verò viscera prius effuderit ac deinde ἀγχόνῃ χρησάμενος adhibito suspendio interierit, ut voluit *teste Dorschæo* (*c. l. p.166.*) *Epiphanius* incertum, imò si textum sacrum (*Act.1. v.18.*) inspicias, absurdum est.

§. 18.

Visçerum demum effusio, quo modo tandem facta fuerit nihil in natura præsidii, præternaturalem eandem voçamus, ob rationes supra datas. Voluit nempè divina vindicta ut supplicio non planè absimili afficeretur, quo proditores patriæ vel Magistratus sui affici solent, quando in quatuor partes dissecantur & cor ipsorum cum reliqvis visceribus vi extrahitur & effunditur, quod notat *Schmidius* (*in declar. N.T. ad Act. c. 1. v.18. p.1776.*)

LIBR. I. TIT. IX.

De partu Cadaverum.

Summaria.

COïtus cum mortuis. Veneficium. Pœna. Mortuas non posse imprægnari. Gravidas mortuas parere. Partus aut vivus aut mortuus. Signa fœtus mortui. Vivus cur auram appetat.

petat. In partu quæ reqvirantur. Uteri monarchatus ex Helmontio. Quo modo ab illo demonstretur. Rejicitur. Fœtum vivum esse partus causam. De mortuo. Humorum fermentatio. Cur non omnis fœtus mortuâ matre egeratur. Carmina, an parturienti obsint.

§. 1.

Eò devenit insatiabilis hominum libido, ut œstro tentati venereo mortuorum non parcant corporibus. De Vespillone, qvi virginem peste defunctam iniit, horribili scelere, legi poterit *Jordanus* (*tr. 1. de pest. Phænom. c. 18.*) Idem de sepulturæ apud Ægyptios curatoribus *Herodotus* (*in Terpsich. c. 21.*) refert inde mos apud eos inoleverat ut corpora sepulturæ qvarto post mortem die crederentur qvo fœtor ab ejusmodi injuria cadavera defenderet.

§. 2.

Veneficium aliqvos in cadaverum amorem, utq; iis frui tanqvam viventibus appetant, rapere qvidam relatione illa, de Carolo Magno, ejusq; amasia, qvam tamen non inamœnam fabulam *Petrarcha* (*l. 1. ad famil. epist. 3.*) vocare non veretur, probare satagunt. Mulierculâ illâ qvam effictim in vita arserat, defuncta, in affectum mors nihil valuit. Eadem mens, idem magno Imperatori erat amor. Inde ne aspectus eidem cadaveris subtraheretur, balsamo & aromatibus conditum vestibus pretiosis gemmis & auro lucentibus decoravit. Dum neglectis curis publicis, in lectulo suo omnibus exclusis & obseratis foribus amato corpusculo adhærebat amicam suam crebrò velut spirantem responsuramq; compellans, illi curas laboresq; suos narrabat, illi blandum murmur & suspiria, illi semper amoris comites lacrymas instillabat, horrendum miseriæ solamen, sed qvod unum ex omnibus Rex alioqvin, ut ajunt, sapientissimus elegisset. Addunt fabulæ qvod ego nec fieri potuisse, nec narrari debere arbitror. Causam hujus ardoris insveti annulus sub lingva à muliere detentum allegant, qvem cum Coloniensis Antistes de cœlo monitus Cadaveri eripuisset, amorem simul imperatorio excussit animo. Pluribus è *Petrarcha* hanc narrationem exprimit *Kornmann* (*part. 2. c. 14.*) qui si libet poterit evolvi. De Periandro cum Melissa mortua se commiscente *Herodotus* (*c. l.*) consulatur.

Tales panem ſuum in frigidum clibanum ponere, in proverbium abiit.

§. 3.

Ut igitur abſurda eſt illa libido, ut tales non immeritò pica venerea laborare, diceres, ita de jure in talium transgreſſorum ſævitur corpora. Evolvendi hic JCtorum commentarii, ut quæ huc ſpectare videntur ſuppleant. Libavit id *Kornmann.* (*p.9. c.41.*)

§. 4.

Mortuas deteſtabili illa initione impraegnari poſſe, credat Judæus Apella. De puella Deyſa mortua à milite impraegnata *apud Kornmannum* (*part. 4. c.1.*) relatio, figmentum eſt præſtigioſumq; Dæmonem alacres ſuas huic actioni locaſſe manus tota evincit narratio.

§. 5.

Gravidas verò mortuas parere poſſe, exempla varia confirmant. Gravida à Clerico trucidata Gemellos enixa eſt, *teſte Salmutho* (*Cent. 2. obſ. med. 1. p. 60.*) Quædam poſt 36. horas à morte peperit (*Riolan. l. 6. Anthropogr. c.8. p.398.*) quædam ſepulchro jam illata (*Diomed. Cornar. hiſt. admirand. 15. p.48.*) Plura conſignarunt *Hildanus* (*in Epiſt. ad Döring. p.1174.*) *Nimmannus* (*Differtat. de vit. fœtus in utero*) *Rolfinccius* (*Differtat. anat. l. 6. c. 33. p.1195.*) *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. obſ. 99. p.350.*) ubi & mentionem facit fœtus, qui duos dies atq; noctes in utero matris demortuæ vivus latuit, & tandem natus eſt. Auxerunt in hoc exemplo admirationem compacta crura, clauſæ viæ uterinæ, & lintea cadaver conſtringentia.

§. 6.

Fœtus qvi excluditur aut eſt vivus, aut mortuus. Vivus poſt matris mortem manet, ſi perfectus, ſi non à morbo matris obitum antecedente debilitatus. Denaſcitur verò anteqvam naſcitur ſi Embryo adhuc, ſi morbis ſimul tentatus (*de qvibus in peculiari tractatu, Deo dante, fuſius*) eum idem cum matre maneat exitus.

§. 7.

An verò fœtus ante matrem ad plures ſe contulerit ſigna accuratè deſcripſit *Rod. à Caſtro* (*l.4. de morb. mul. c.2. p.417.*) An poſt mortem matris adhuc vivat, quo ſectione ipſi ſuccurramus ſedulò attendendum. Signum certiſſimum eſt, ſi moveatur adhuc in utero; uteriq; capacitas adhuc caleat. Omnium optimè id explorabit obſtetrix. Interim etiam fœtum maturum in utero quieſcere aliqvando ut extinctus exiſtimetur

Hil-

Hildani obſervatione (*c.l.*) monemur. Tunc experimentum forſan *Job. Dominici Sala* locum habebit, qvi, *referente Th. Bartholino* (*Cent. 5. hiſt. anat. 78.*) manum aqva frigida madidam viventis ventri imponebat, noxia frigiditate ut motum fœtus ſollicitaret.

§. 8.

Vivus ergò vegetusq́; partus ut lucem appetat matre mortua ſonticas ſanè habet cauſas. In Cadavere prædominans frigiditas, ſangvinis in matre motus interceptus, nutrimenti quod per os ſumit inſtans corruptio, cadaverisqve mox ſecutura putredo, ſanies & fœtor hoſpitii ut mutet ſentinam loco tutiore ſeriò inculcant.

§. 9.

Egredi igitur putredinis gymnaſium, locumq́; in quo

crudelis ubiq;
Luctus, ubiq; pavor, & plurima mortis imago

relinqvere affectabit fœtus jam perfectus. Qvibus verò auxiliis? qvove modo? In partu tria convenire, fœtum, mulierem & uterum, *Rod. à Caſtro* (*l. 4. de nat. mul. c. 7. p. 199.*) aſſeruit. Verum enim verò cum Uterus mulieris pars ſit, commodius ad binarium reduxit ternarium *Harveus* (*Exercitat. de partu p. m. 342.*) Docuitq́; in naturali & genuino partu mutuas invicem ſibi præſtare operas, matrem parientem, pariendumqve fœtum. Utriq́; incumbit ut molimine alacri opus illud alacriter moveat & promoveat.

§. 10.

A mortua verò genitrice qvale auxilium ſperabit partus? Nullum ſanè, ſanæ ſi auſcultemus rationi. *Helmontius ingenioſus Paradoxorum faber* ſuum hic ut oſtentaret novandi ſtudium, Utero ſingularem tribuit monarchatum, ejusdemq́; ob inſignem agendi craſin, ſibiq́; viciſſim ab aliis viſceribus præſtitam obedientiam Cordi æqviparat (*tr. de ideis morboſis n. 2. p. 431.*) Id contingere non ob conſenſum hujus cum reliqvis partibus, ut ante eum doctiores docuere, (hoc nomen enim vocat fallax, qvod ideò vel larvam continet, vel præter impoſturam, fabulam, id eſt nihil continet *tr. Ignota actio regiminis n. 30. p. 268.*) ſed ob ignotam actionem regiminis (qvam deſcribit *c. l. n. 29.*) à qva omnes uteri affectus deducit (*n. 43. p. 270.*) Sola eſt actio regiminis, inqvit (*n. 46. p. 271.*) qva furens uterus cuncta exagitat. Concludit tandem, uterum vivere

ſæpè, tumultuariq; à morte mulieris, qvam intulit (*c.l.*) & hanc ob cauſam non raro ſuum profligare fœtum (*tr. de Flatibus n.26. p. 337.*) aſſerit. Vitam hanc ſingularem uteri alibi (*tr. vita multiplex in homine p.597.*) vocavit.

§. 11.

Ingenioſa hæc ſunt, neutiqvam tamen vera. Actio iſta regiminis ignota, qvid niſi ignorantiæ aſylum? Non raro, inqvit *Helmont.* (*tr. ignota actio regiminis n.43. p.270.*) unicum in pede guttureve tendinem ſtringit uterus, vel gulam totam planè comprimit, tanqvam ſi morbus topicus eſſet, cum interim nulla exhalatio ad iſtum nervum vel locum mittatur, dirigatur vel recipiatur. Solo aſpectu pulmonem contrahit, ut anhelitu in totum privet. Nugæ ſunt, qvæ de vapore nocuo huc feruntur. Qvippe qvi propinqvius inteſtina, ſtomachum & Diaphragma convelleret, qvàm ad pulmonem ſolum perveniret. Alibi quoqve guttur ad menti altitudinem ſurgit ſiditq; iterum, nec eſt vaporum iſtorum merces. Sed dominium, regimen, aſpectus, influxusq; & præceptum Uteri ſic habet. Partem enim qvam vult afficit, & totum qvandoqve perimit: qvia ſubeſt. Qvamdiu enim à perturbationibus animæ non qvatitur, recto ſtat pede, imò dormitat Uterus: At ſemel perturbationibus impeditus, de cætero ſuas parit exundationes per totum corpus & ſubinde in mortem durabiles. *Hæc ille.*

§. 12.

Nos è *Williſio* (*tr. de morb. convulſiv. c. 10. p. 160.*) uterum in his caſibus ſæpè abſolvimus, nec actionem regiminis iſtius aut conſenſum tàm latè ſe diffundere ſtatuimus. In Puerperis uteri dislocatio interdum contingit (*id. c. l. p. 187.*) & tamen nihil furoris advertimus, nihil qvod hyſtericum exprimat malum. Convulſiva ergò eſt illa hyſterica affectio, & ad Cerebrum & genus nervoſum præcipuè ſpectat (*ibid. p. 164.*) Qvæ verò in abdomine concitantur moleſtiæ, non tàm utero, quàm Meſenterio tribuenda cum eodem (*p. 181.*) cenſemus.

§. 13.

His ita ſe habentibus ſpontè mole ſua ruit uteri monarchatus, & ignota actio regiminis. Nec tumultuabitur poſt mortem, fœtum exturbando, cum omnis actionis virtute unà cum cadavere exutus, frigeat ut lapis, rigeat ut truncus.

§. 14.

Cum igitur mater deſit fœtui, ne ſibi ipſi deſit, auramq; hauriat vitalem omni nititur virtute. Fœtus illud molimen tanti etiam matre adhuc vivente momenti eſt, ut ſine eo fruſtra laboret & defatigetur mater. Oportunè illud demonſtravit *Harveus (c. l. p. 344. & 345.)* partu rajæ, paſtinacæ, galei, omniumq; piſcium cartilagineorum, qvi ova intùs concepta geſtant, eaq; perfecta bicolora atq; cortice cartilagineo valido qvadrangulari concluſa, è quibus infra abdomen & uterum detentis piſciculi efformati rupto vi cortice foràs egrediuntur. Ita viperæ non parentis alvum exedendo naſcuntur, (ut pluribus deduxit *Georg. Voigtus Curioſ. Phyſ. c. 4. p. 107.*) ſed tunicæ incluſæ, ſecundam vulgò vocari apud *Severinum (de viper. Pythia p. 197.)* legitur, qvam erodunt, ut lucem videant, *vid. Veslingius (Epiſtola ap. eund. p. 245.)* Ita Bombyces & alia inſecta, imò & pulli conſveto tempore non matris ſed proprio molimine nixi clauſtra corticis effringunt, ſibiq; parant exitum.

§. 15.

Qvid verò mortuum fœtum luci ſiſtit, qvo pulſore uterum linqvere cogitur? Non ſemper reverà mortuæ ſunt, mortuas qvas conjicis. Exemplum habet *Diomedes Carnarius (hiſtor. admir. 15 p. 48.)* alicujus qvæ pro mortua ſepulchro illata infantem peperit. Excludit fœtum in tali caſu ultimus Naturæ conatus, & anteqvam fato cedat excedere cogitur. Qvæ de reliqvis facultatis vegetatricis in Cadavere allegat *Salmuth. (c. l.)* rejicimus *ſupra (tit. 1 §. 4.)* Nec rationem ſuggeret qvisqvam cur reliqviæ iſtæ potentius ipſa anima agant operenturq;.

§. 16.

Humorum in utero collectorum tandem mortem inſeqvitur impetuoſa fermentatio, tantas ciens turbas, ut aliqvando, prout ipſi vidimus, eorum magna per vulvæ rimas egeratur copia. Succedit inde etiam abdominis tumor & flatulentia comprimis, ſi medicamenta partum facilitantia & longas illas obſtetricum potiones, qvas non ſine cauſa rejecit *Harveus (c. l. p. 506.)* ante mortem avidis hauſerint faucibus. Illa fermentatio, ut fœtus egeratur, ſi uterus non conſtrictus, ſed laxus appareat, multum auxilii ſubminiſtrare valebit.

§. 17.

Cur autem non omnis fœtus mortua matre explodatur (qvod e-

nim mulierculæ somniant id semper contingere, qvamvis demum in sepulchro id eveniat, experientia refutat.) variæ possunt dari causæ. Qvæ partus in vivente moram promovent huc spectant. Comprimis verò omenti, aut rectius ut id exposuit *olim noster Præceptor B. Langius (in not. ad h. l. Mſ.)* suminis nimia pingvedo *(vid. Hipp. ſ. 5. aph. 46.)* Si vasa umbilicalia fœtus collo fuerint involuta *(Schenckius l. 4. obſ. med. p. m. 586.)* Si perversus fœtus sit positus *(Hildan. Cent. 4. obſ. Chir. 57. p. m. 435.)* Si fœtus monstrosus aut biceps *(Aëtius tetrabibl. 4. ſerm. 4. c. 22.)* aut tripes *(Tulpius l. 3. obſ. c. 37.)* aut hydrocephalus *(Foreſt. l. 28. obſ. med. 71.)* aut Gemelli adsint iiq; connati *(vid. Diſc. noſtr. de Gemell. & part. num. c. 4. §. 4.)* aut fœtus magnitudine excedat. *(Th. Bartholin. cent. 5. hiſt. anat. 43.)* Rumpitur aliqvando uterus aut à fœtu calcitrante *(Hildan. Cent. 1. obſ. 64. p. m. 64.) Excell. Dn. D. Bauſch. (Schediasm. de Ætit. proœm. p. 5.)* aut ab intempestivo partum pellentium usu *(Salmuth. Cent. 1. obſ. 16.)* Scirrhus uteri *(Knobloch. apud Horſt. ſ. 17. Epiſt.)* Uterus olim sectionem cæsaream expertus *(Rod. à Caſtro l. 4. de morb. mul. c. 3. p. 447.)* uteri naturalis angustia, ut & ossa pubis conjuncta & constricta *(Courreus part. 3. de nutrit. fœt. c. 12.)* Et sexcenta alia qvorum copiam observationes suggerent Medicæ. De Lithopædiis infra *(l. 2. Tit. 9.)*

§. 18.

Loco Epimetri sit illa Ethnicorum superstitio, qva carminibus partum in utero viventis retineri posse persvasum habebant. Nec nostræ hic absolvendæ, qvæ digitos hoc vel illo modo junctos partum vel promovere, vel retardare credunt. Ita cum *apud Ovidium (l. 10. Metamorph.)* Alcmena Herculem esset paritura Ilithyia

digitis inter ſe pectine junctis
Suſtinuit partus, tacita qvoq; carmina voce
Dixit, & inceptos tenuerunt carmina partus.

LIBR. I. TIT. X.

De Ungvium, Cornuum & Ossium Incremento.

Summaria.

ENochus an sibi ungves resecet & capillos. Ungves mortuis cre-

crescere. Rationes adduntur. Dubitatur rectiùs. Videntur tantùm crescere. Respondetur ad rationes. Ungvium à capillis differentia. Hecticis cur dicantur crescere. Vita ungvium. Cornua plantatilia, calcaria Gallorum transplantata. Cornutorum Exempla, Cornua ex oculis in Chymico suspenso. Caussa difficillima. Ossa sub terra an crescant. Dari Gigantes. Ossa sub terra non crescere. Ossa Gigantum in palatiis suspensa. Gigantes in locis Septentrionalibus. Goropius horum augmentum Dæmoni tribuit. Minùs rectè. Medicus circa ossa rogatus circumspectè agat. Exemplo dentium illustratur. Circa ungves vulgi superstitio.

§. 1.

QVosdam è Papistis qværsivisse, an Enochus vivus in Paradisum terrestrem, ut nugantur, translatus, & cujus opera tondeat capillos qvum tonsorem in Paradiso extra hominum societatem positus, non habeat, nec forfices, aut potius forpices: num ungves resecet, qvum cultrum non habeat, nisi statuas cultro aut forpice instructum fuisse, qvum tolleretur, *Pl. Rev. Joh. Sebast. Mitternacht (dissert. 11. de Johann. p. 252.)* demonstrat, eosq; sale fricatos dimittit.

§. 2.

Mittimus & nos nugatoribus suas nugas, & an mortuis adhuc crescant ungves potius indagamus? Svadent illud historiæ à qvibusdam notatæ. Narrat ex aliis *Kornmann. (p 3. c. 13.)* Bononiæ in Romandiola in monasterio corporis Christi ostendi B. Catharinam, ejus domus olim Sororem, qvæ incorrupta sedet, & ungves ejus in manibus ac pedibus indies augentur ac si in corpore etiam viveret. Addit è *Cardano (l. 8. c. 40.)* de B. Gaudentia, cui cum sex perpetuis mensibus ab obitu inhumatus mansisset, perpetuò ungves & capilli fuere superaucti (*c. l. c. 23.*) Idem de B. Salone de domo regali Poloniæ (*c. 25.*)

§. 3.

Nec rationes parti affirmativæ prætereà deesse videntur. Si enim capilli crescunt mortuis ut demonstravimus suprà *(Tit. 1. §. 5.)* cur non & ungves, cum secundum *Helmont. junior. (tr. Alphab. Nat. Colloq. 4. p. 32.)*

ex una & eadem materia, viſcida nempe conſtituantur, qvia ſi coqvantur gelatinam dant. Confirmat illud præterea, qvod ut capilli ita ut ungves in Phtiſicis & hecticis dum vivunt augentur, cur non etiam poſt mortem. Tertiò ſi vivunt vita media, qvæ in his remanet *ſecundum Kerger.* (*tr. de Fermentatione ſ. 1. c. 6. p. 57.*) cur non etiam augebuntur? Qvartò ſi cornua vervecina transplantata, ut & calçaria Gallorum inſita radices agunt & majora evadunt, cur non & ungves in proprio loco conſtituti: Demum ſi dantur Exempla poſt mortem demum cornua è cadavere germinaſſe, cur non & ungves eandem cum Cornibus materiam pro nutrimento expetentes.

§. 4.

Id verò ſaniores maxima ex parte non credunt, *Excell. J. Th. Schenkius* (*l. 1. Exer. anat. 2. ſ. 1 c. 20. p. 100.*) reponit. Creſcunt non ὄντως ſed φαινομένως; creſcere videntur, non creſcunt. Caro dum ab ambiente exſiccatur pulpoſa, cutisq́, corrugatur, emergunt, oculisq; imponunt noſtris. Nec illa reticenda muliercularum ſuperſtitio, qvâ prohibent ne reſecare ungves ſibi patiatur patiens, metu majoris mali. Inde progreſſu temporis vulturini evadunt, verumq́; in mortuis mentiuntur incrementum, qvod ad prolata Exempla, ut non addamus ea aliena h. e. dubia narrari fide.

§. 5.

Ad rationes & qvidem primam. Maximam partem qvidem convenire ratione materiæ ex qva generantur, qvave nutriuntur Pilos & ungves non negamus. Mucum glutinoſum vocavit *Hippocrates*. De Pilis qvidem loqvitur (*l. de princip.*) ubicunq; in corpore glutinoſum eſt, ibi pili gignuntur à calido. De ungvibus verò (*l. de carnibus.*) qvod ex muco glutinoſo procreentur. Interim pilorum gluten non ita terreſtri ſqvalore abundare prout ungvium, nemo negabit. Deinde Pilo ſua eſt radix vera cæterisq́; partibus exareſcentibus in Capite à Cute denſiori gluten & nutrimentum illorum ad tempus conſervatur. Contra verò cum ungves non veras, ſed impropriè dictas radices obtineant, tendinibusq́; connectantur, iis in manibus & pedibus exſiccatis & contractis, non tantum nutriri, ſed & contineri neqveunt. (*Th. Bartholin. Diſſert. de Ilep. deſ. p. 6.*)

§. 6.

Ad ſecundam. Senibus uncas manus tribuit eleganter *Cornelius Gal-*

Gallus (*Eleg.1.*) & de consummatis Phtisicis & Hecticis ita *Francisc.du Port* (*l.2. de Sign. morb. c.23. p. 43.*) cecinit:

Incurvi fiunt velut alitis Ungves.

Θηριώμα s. affectum ferinum ob id dici hos affectus adstruunt *Job.Collius* (*l.2.de min.commun. princip. & pass. morb. p.167.*) & *Hieronym.Montuus* (*part. 1. Med. Pract. l.2. c.12. p.96.*) Sed à corpore adhuc, qvamvis ægrè, vivente ad mortuum malè concluditur.

§. 7.

Qvod ad vitam ungvium, vitam his denegare videtur *Galenus* ipse (*1. de U. P. c. 11.*) contra illis & inprimis eorundem partibus inferioribus vitam tribuit *Vallesius* (*l. 2. controv. med. c. 5.*) Tribuimus & nos illis vitam, qvamdiu viventi corpori adhuc junguntur, in mortuo verò neutram veriùs qvam mediam (non enim hæc non-vita est, ut judicat *Gothofred. Voigt. Curios. Phys. c.1. s. 4. Experim. 12. p. 27.* modò rectè explicetur terminus.) eamq; ad ultimam s. decidentem aspirantem.

§. 8.

Cornua vervecina & calcaria gallorum transplantari posse nil ad rem. Qvod ad prius nulla asserto à latere præstò est experientia. Vaccam, qvæ cornua habuit in pede, hæc tali modo accepisse, *Borelli* (*Cent. 1. obs. 10. p. 15.*) conjectura est. Conjectura, inqvam, qvæ tantum distat veritate, qvantum *distant æra lupinis.*

Asserit *prædictus Autor* (*Cent. 4. obs. 52. p. 318.*) se cornua vervecina & bubula vidisse, qvæ radices in terra egerant. Ita *Olearius* (*præfat. ad Lect. in Itinerar. Mandelslob.*) Dieses schreibet *Hugo* von Lindschotten außdrücklich und giebt es vor ein warhafft ding aus/ saget/ daß es auff der Insul Goa geschehe an einem steinichten orte/woselbst die Schlächter die Hörner als nichtswürdige dinge hinwerffen / und habe er selbst etliche aus der Erden gezogen/ welche 2. und 3. Spannen lang Wurtzeln in die Erde geschlagen hätten/ sollen sonst nirgend als bey Goa gefunden werden. Allegat hæc etiam *Kergerus* (*c.l.*) Respondet *Gothofr. Voigt.* (*c.l.*) distingvendo (*α*) inter accretionem propriam & impropriam. Hæc, non illa ossibus & cornibus sub terra existentibus tribuenda. (*β*) inter continens in contentum. Si verum est (de qvo valdè adhuc dubitat) cornua illa radices egisse in terra, tum non ad cornua, qvam ad ipsa contenta est respiciendum. Hæc ille. Rectè verò de veritate dubitat. Obstat (*α*) Authorum assensus,

apud

apud qvos altum hac de re silentium. *Nobilißimus Mandelslohius* suffragio suo hanc narrationem fulcire posset, si oculatus non auritus testis existeret. *Borello* contradicit *Linschottus* ipse, qvi in sola insula Goa cornua ista plantabilia inveniri asserit. Obstat (β) ipsa cornuum natura. Cornua, qvamvis sint vegetabilia, si plantæ animalium tamen sunt, adeoq; in animalibus tantum non in terra radices agunt, non aliter, ut viscum in arboribus, non in terra provenit ac radicatur. Obstat (γ) Soli qvalitas. Arenosum aut petrosum solum paucis plantis conveniens est, qvi igitur cornibus desideratum suggeret alimentum? Et hoc detur, qvomodo in petroso solo tam altas projicient radices Cornua, cum in Cranio animalium, non aliter ut visci in arboribus, sint vix conspicuæ? Qvod verò Gallorum spectat calcaria, longè alia causa subest. Qvod cristis abscissis insita agglutinantur, id non calcaribus sed pulposæ in eorum cavitate carni latitanti adscribendum, qvæ vulneratæ cristæ applicata, cum ea unitur, successuq; temporis in calcarium incrementum nutrimenta colligit & propinat.

§. 9.

Cornutorum varia prostant Exempla. Agmen ducat ille Franciscus Trovillunius ex montanis Lenomanorum, cui anno ætat. 7. cœpit crescere cornu duritie & crassitie eadem, qvæ in vervecinis & caprinis esse solet, sed illud non spiralibus lineis, sed porrectis striatum erat, color fulvus, qvalis barbæ aut comæ. Pluribus hujus historiam dabit *Thuanus (Tom.3.hist.l. 123.ann.1599.p.884.)* Cornu ex vulnere in genu prognatum observavit *Alex.Benedictus (l.1.hist.part.corp.hum.c.14.)* Aliud in dorso gestavit *Abenzoar. (l. 1. Theisir. tr. 6.)* varias easq; manifestas Cranii eminentias deprehendit *Zacutus (l. 2. Prax. mirand. obs. 187.)* qvi de excrescentiis miris etiam multa *(l. 2. hist. med. Princ.4.p.170.)* Adde *Schenkium (l.1.obs. med. p.m. 13.) Borell. (l. 1. obs. 14 p. 21.) Bartholin. (tr. de unicorn. c. 1.)*

§. 10.

Hoc verò omnem superat fidem, mortuo non è capite, sed oculis cornua nasci. Audiamus *Kornmannum (part.5.c.7.)* Hocce vidi in Ducatu Charitinorum propè Studgardium (est ea metropolis sedes Ducis Wirtenbergici) mirabile: Chymistæ furcis suspenso duo cornua ex oculis longitudinis instar digiti nascebantur anno sextæ centenariæ primo post mille.

§. 11.

§. 11.

Exemplum hoc ſine exemplo animos curioſorum non ſine ratione tenet ſuſpenſos. An eadem ſit cum *Sethi Calviſii* hiſtoria judicent alii, (in multis namq; lectores fallere ſolet *Kornmannus*) qvi (*Oper.Chronolog. p.880.*) ann. 1607. Pſeudochymicum Stargardiæ ad patibulum ferreum protractum narrat, miraculum tamen illud omittit, qvos talia ſcrutari juvat, judicent. Qvid ſi diceret aliqvis, eum in vita uſum fuiſſe Azoth aut Lapide Philoſophorum medicamentoſo, eiqve morte violentâ extincto, lacrymas abiiſſe in cornua, non aliter ut de Cervi lacrymis ſcribitur, qvæ ad oculorum canthos concretæ oſſium & cornuum tandem vincunt duritiem. Vid. qvæ collegit *Excell. Graba* (*Elaphogr. ſ.2. c. 26. p. 214.*) Sed hæc Oedipum requirunt non Davum.

§. 12.

Jam ad oſſa. Qvod de ungvibus & cornibus hactenus qvæſitum, ut de oſſibus etiam qværamus *Illuſtris Vir Th. Bartholinus* anſam nobis dedit. Hic namq;, dum in Dania oſſa giganteæ monſtroſitatis paſſim inveniuntur, in Dania autem Gigantes unqvam vixiſſe in hiſtoriis non legerit, concludit (*Cent. 4. obſ. 94. p. 417.*) oſſa demortuorum terræ commiſſa in monſtroſam hanc excreviſſe magnitudinem.

§. 13.

Gigantes inter ea, qvæ non ſunt, cur repoſuerit *Seneca* (*l.5.Epiſt.59.*) cui pollicem premit *Andreas Brunnerus*, qvi tales robore corporis potius qvam mole prodigioſos (*Part. 2. Annal. Bojac. p.47.*) putavit, cauſam nemo facilè dicet. Sacra ſanè reclamant Oracula. Hiſtoriarum reclamat fides. Inde etiam inuſitatæ magnitudinis oſſa caſu non rarò inventa fuere. Oſſa talia poſſedit *Platerus* (*l.3.obſ. p.549.*) ad qvorum proportionem Sceleton decem & novem pedes longitudine adæqvans delineari & depingi curavit. Oſſa Gigantis Buard Valentiæ in Monaſterio Jacobinorum, ejusq; delineationem 15. ulnas longam vidit *Joh. Wilhelm Neumayr* (*in itinerar. p. 31.*) Dentem giganteum & coſtas poſſedit *O. Wormius* (*l.3. Muſ. c.26. p. 343.*) Plura *Kornmann.* (*de mirac. viror. p. 9. & ſeq.*) *Majolus* (*Tom.1.dier.canicul. colloq.2.*) memorabilium Scriptores collegerunt. Hæc oſſa verò ſub terra demum hanc vaſtitatem conſecuta fuiſſe dubitamus.

§. 14.

Non ſcripta ſcribamus gigantes in rerum natura certè extitiſſe.

N Di-

Dicamus saltem [α] ossa à Natura destinatam habere magnitudinem, non secus ut reliqvæ corporis nostri partes, qvam excedere non possunt. [β] Ossa ad debitam magnitudinem dum pervenerunt, tantam duritiem conseqvi, ut auctrix vivente corpore postmodum nihil juris in ea obtineat. [γ] Si igitur in vivente statuto tempore ossium cessat incrementum, in mortuo qvî resuscitabitur? [δ] Nec obstat, in Dania non fuisse legitur Gigantes, & tamen ossa giganteæ magnitudinis ibidem reperiuntur. E. sub terra latentia creverunt. Potuerunt tanqvam rara & singularia eò transferri, aut ab inundationibus notabilioribus eò devolvi.

§. 15.

Ossa namq; gigantum in tali pretio olim fuisse, ut etiam Magnates sua illis exornarint Palatia histôrici memorant. Prætorium iisdem excoluisse Augustum, *Svetonius (in octavio c.72. p.m. 156.)* autor est. Idem de Templo Muhammedanorum Damasci conspicuo, cui par non fuit ædificium in toto orbe, qvodq; olim Benhadadi Palatium fuisse dicitur, refert *R. Benjamin Tudelensis (p.56.)* Ita *Suidas (in voc. μῆνας f.591.)* recitat magnam ossium Gigantum multitudinem, cum ædes S. Menæ Constantinopoli repurgaretur, in ampla qvadam fossa repertam esse. Qvam Anastasius Imperator Conspicatus in Palatio, ut rem admirabilem, reposuerit. Allegat hæc *CLmus Joh. Bened. Carpzov. [Dissertat. de Gigant. c. 1. p. 1. & 2.)*

§. 16.

Arngrimus Jona, accuratus rerum Islandicarum Scriptor Gigantis qvindecim ulnarum, qvi regnante Magno, Erici filio, Rege Norvvagiæ, anno 1338. à qvatuor viris trucidatus fuit, meminit, [*l.1. rer. s. comment. Island. c.4. p.34. & seq.*] Spectant huc qvæ narrat *Joh. Isac. Pontanus* [*l.1. rer. Danic. p.14. & 55.*] qvi in eo saltem à Jona dissentit, qvòd primos omnium septentrionalium regionum incolas Gigantes fuisse commemoret. Ipse *Saxo* [*in proœm. hist. Danic.*] à Saxis stupendæ magnitudinis Saxis curiosè impositis Gigantes in Dania extitisse non obscurè probare videtur. Sed hæc mittamus.

§. 17.

Credidit *Goropius* [*Giganto mach. f.223.*] ossa monstrosa Dæmonis arte confingi, ut ejuscemodi ludibriis credulos homunculos dementaret, & à veritate ad falsas de rebus omnibus opiniones deduceret.

§. 18.

§. 18.

Tanti verò ponderis non est illa ratio, ut nos in ejus trahat sententiam, cum ipse simul fateatur, ea esse posse belluæ marinæ aut Elephantorum &c. ossa. Ita de illis ab Augusto in Prætorio repositis, *Svetonius* [*c. l.*] qvi tamen vapulat à *Casaubono* [*in not. ad b. l. p. 148.*]

§. 19.

Ne igitur decipiatur Medicus, Anatomen ejusq; partem non ignobilem osteologiam in consilium vocet. Docet namq;, illa ossa qvædam in homine à brutorum ossibus forma externa in multis differre. v. g. Cranium, scapulas cum claviculis, ossa pollicis & calcis &c. Hæc igitur si offendat exactè considerata forma externa humana reputet. Contra dentes, maxillas, vertebras, costas &c. cum brutis convenire utplurimum αὐτοψία docebit. In his ne fallatur, & aberret, poterit autem facillimè, probè circumspiciat. Inprimis in proportione examinanda, cum reliqvis ossibus Argus sit, ne se deridendum propinet.

§. 20.

Exemplum nobis sit dens ille apud *Gesnerum* (*l. 4. hist. animal. f. m. 420.*) dentem ille habuit qvamvis circa radicem non integrum duas uncias pendentem. Jam verò humani dentes pleriq; omnes, etiam majusculi drachmam s. octavam unciæ partem non excedunt. Unde conjiciendum esset, qvemadmodum dens ille communem sedecies excedit, ita qvoq; hominem illum, si homo fuit, toties aliorum hominum corpora excessisse. Qva ferè proportione Antæi Gigantis corpus superavit, utpote sexaginta cubitos longum, qvi excessus ad qvatuor qvindecuplus est. Qvid si eadem proportione dentem illum *apud Augustinum* (*l. 15. de Civ. Dei c. 9.*) è qvo dissecto centum, aut illum *apud Camdenum* (*in Britann. p. 351.*) è qvo ducenti dentes confici potuissent, aut illum Viennam Austriæ transmissum 5. & sem. libr. ponderantem (*J. P. Lotichius Tom. 5. Theatr. Europ. f. 974.*) metiremur, monstra Gigantum, & montium instar homines produceremus.

§. 21.

Coronidis loco ad ungves revertimur, & ὡς ἐπὶ πάρεργον, cur abscissi tam sanctè à vulgo custodiantur, addimus. Nostros si consulas, ne eos colligant veneficæ, iisq; ad incantationes & veneficia utantur, qvod etiam notat *Barthius* (*l. 7. advers. c. 3. col. 316.*) regerunt. Magis verò ridi-

cula est illa, qvæ Daniæ dementat incolas, *teste Th. Bartholino (Cent. 3. obs. 78. p. 155.)* Ungves resectos hi sibi servant, secumq; in sepulchrum recondunt, sperantes inde buccinam fieri ab Angelis in extremo die. Ungves & pili an beatis corporibus denegandi qværit *Spizelius (Consid. corp. glorios. §. 35. p. 96.)* idq; affirmat, ita tamen, ut monstrosam illam ungvium & pilorum omnium etiam resectorum restitutionem rejiciat, & ita explicet *Augustini (Enchir. ad Laur. c. 89.)* verba & mentem.

LIBR. I. TIT. XI.

De Penis Erectione.

Summaria.

PEnis dignitas. Honores huic habiti divini. Victoriæ signū qvibusdam & corporis ornamentum. Transitio. Penis erectio an Satyriasis an Priapismus. Historiæ. Non post mortem erigitur. An à coïtu cum moniali. Musculi qvid conferant. Qvid spiritus. Qvid morbi. Purgantia. Cantharides. Satyrion. Bangve. Maslach. Opium. Electuarium Affion. Herba Theophrasti. Boletus Cervinus. Salacitas nimia. Veneficium. Milites cur erecto cadant pene. Erectio penis in cadavere qvomodo procuranda. Præstigiosa penis ablatio.

§. 1.

IN absconditô qvasi latet penis fistula, ne Natura stimulum libidinis unicuiq; ob oculos posuisse videretur, castisq; oculis spontè obtruderet scandalum. Ut v. abstruso qvæ jacent in loco non illicò ignobilia æstimanda; ita nec præfatum membrum omni dignitate exuendum, qvippe suggerendæ proli summè necessarium, intra hominis ætatem alioqvin defecturæ. Qvare pater omnium membrorum *à Paulo Zachia (l. 5. qvæst. med. legal. tit. 3. qvæst. 1. n. 13. p. 407.) Harsdorffero (Spec. Histor. c. 79. §. 12. p. 576.)* non immeritò salutatur.

§. 2.

Absit verò divinos huic tribuamus honores prout Ethnicis in more

more positum fuit. In oppido namq; Lavinio Libero integer mensis dicabatur. Qvibus diebus unusqvisq; spurcissimis abutebatur verbis, donec per forum pudendum Liberi patris membrum palam exultante neqvitia transveheretur. Cui inspectantibus omnibus matremfamilias honestissimam coronam necesse erat imponere. *Vid. Augustinus (l. 7. de Civ. Dei c. 21.) Coelius Rhodigin. (l. 4. lect. antiqv. c. 6. col. 150. 151.)* Inde & illud *ap. Riolanum (l. 2. Anthropogr. c. 30. p. 155.)* leges:

Nota sub urbanas inter Theletusa puellas,
Qvæ puto de qvæstu libera facta suo est:
Cingit inaurata penem tibi sancte corona:
Hunc Pathica Summi Numinis instar habes.

Qvæ de Isidis apud Ægyptios instituto collegit *Sinibaldus (l. 2. Gen. anthr. tr. 2. c. 2.)* huc spectant.

§. 3.

Nec in victoriæ signum aut corporis ornamentum cum aliis collo appendere nobis animus est. Narrat siqvidem *Linschottus (in itinerario)* Cafres Æthyopiæ populos ad oram maritimam, qvæ ad caput bonæ spei porrigitur, invicem variis bellis occupari. Victores victis cæsis & captis pudenda rescindere qvæ resiccata Regi in reliqvorum procerum præsentia his moribus offerunt: Pudenda in os assumunt singulatim, atq; ad Regis Pedes ea exspuunt; Rex collecta ac sublata in Regium munus victori restituit, qvæ victor filo connexa pro monili sponsæ seu uxori suæ de collo suspendit. Sponsa hoc habitu incedens, in tantum attollitur, ut se vel totius mundi Reginam aut aureo vellere insigniem credat. Allegant hoc etiam. *Excell. D. Joh. Th. Schenk. (l. 1. Exerc. Anat. 8. s. 2. c. 34. p. 616.) & accuratissimus Anatomicus Regnerus de Graf. (de viror. organ. generat. inserv. p. 130.)*

§. 4.

Qvid post mortem aliquando in pene singulare deprehendatur jam saltim libare libet. Et qvamvis rupta & prætextata verba aliqvando spargat hæc nostra commentatio, nemini tamen ut castitatis repagula laxet, idcircò autores erimus. Naturalia tractamus utili non obscœna curiositate inflammati. Nec qvispiam proinde impurum animum ablaturum, purum & castum qvi attulit, speramus, adeoq; à prolixa honoris præfatione libenter abstinemus.

§. 5.

Mirandum illud est, Penis erectio, Satyriasis an Priapismus commodè dici possit, non immeritò qværitur? Primum non ita facilè admitterem. Satyriasis namq; maximam venereæ rei appetentiam habet comitem, & peracto coitu onobelos vepenem repræsentat. Talis in venerem Satyrorum erat propensio, qvi seniores facti dicebantur Sileni (*Vid. Pausanias in Attic.*) unde & nomen dedere huic affectui. Qvis verò à mortuis pessulum ostio obdere, *ut Terentiano utar*, appetet, cui cum vita omnem sensum & appetitum abstulere fata. Priapismus vocatur affectus, qvando citra rei venereæ appetentiam erigitur muto, minusve langvet fascinum. Spasmodicus hic est motus non cum titillatione, sed dolore molesto, qvi una cum Tetano ne à coitu qvidem cessat. Nec hi tantum priapismo laborare exactè dicuntur, sed illi propriè, qvi simul telum asini præferunt, ut ad ejus pondo, verba sunt *Petronÿ*, ipsum hominem laciniam fascini crederes. Talem probris magis natus Imperator, qvam ei loco ad qvem fortuna eum provexerat Commodus Antonius, aluit pene prominente ultra modum animalium, qvem onon appellabant, sibi carissimum: qvem & ditavit & sacerdotio Herculis rustici præposuit. (*Conf. Ælius Lampridius in vit. ejus p. m. 89.*) Fingunt namq; comprimis incredibili veretri magnitudine priapum luxuriasse (*Conf. Lucian. de Dea Syria.*) ob Junonis manum veneficam, inde & illum fastidiens Venus in Lampsaco urbe maris Hellesponti reliqvit, qvod notat *Natalis. Comes (l. 5. Mythol. c. 20. p. m. 520.)* Hinc vepenem (ita legit *Rhodigin. c. l.* alii habent pipinnam, ut *Langius*, manuscripta bipinnam *Evolv. Turneb. l. 8. adv. c. 3.*) *Martialis (l. 11. Epigr. 73.)* Priapo opponit qvando scribit:

Drauci Nata sui vocat vepenem
Collatus cui gallus est Priapus.

Qvocirca & morbis in magnitudine accensetur, & ex inflationum genere esse dicitur *Galeno (l. 14. M. M.) Conf. Forest. (l. 26. obs. med. 9. p. 573.)* Rectius autem cadavera priapismo laborare, qvamvis non accuratè pronunciabuntur, qvia in his convulsio locum invenit, ut mox dicetur, & à prægressa in viventibus adhuc illa distensione, in mortuis adhuc perennat,

§. 6.

Exempla, qvæ penis erectionem post mortem durasse testantur, pro-

proſtant. Hoc mali genus inſolens admodum eſt, ſcribit *Fernelius* (*l.6 de part. morb. & Sympt. c. 13. p. m. 312.*) qvo tamen narrant jugulatum qvendam biduo ab exceſſu è vita intentum rigidumq; exhibuiſſe penem. In acie qvi cadunt erecto cadere pene à militibus ſæpius accepimus & *Nobiliſſimo Sachſio noſtro* viri militares è nupero Bello Turcico reduces narrarunt, in prælio ad S. Gothartum commiſſo, cum Turcæ veſtibus exuerentur, plurimos illorum inventos qvi poſt mortem membrum rigidiſſimum ſervaſſent. Plura in ſeqventibus allegabuntur Exempla.

§. 7.

In cauſas hujus miraculi anteqvam inqviramus monemus, non eſſe credibile poſt mortem demum cadaveri mentulam erigi, rigidam verò poſt mortem poſſe permanere non impoſſibile.

§. 8.

Cauſam hujus olim retulere in ſtuprum cum moniali commiſſum, credebant nempè qvi moniales devirginaſſent, illis poſt mortem membrum manere rigidum. Fluxit inde verſus barbarus:

Qvi monacha potitur virga tendente moritur.

vid. Leonell. Faventinus (*p art. 2. med. Pract. c. 75.*) Citat ex eo *Kornmann.* (*p. 4. c. 67.*) Hoc ſi verum eſſet, Sancti illi Patres morte circumventi cœteris partibus langventibus cur non virilia vibrarent tenta, priapiſq; vel ipſum provocarent Priapum. Siqvidem in monaſteriis, ut huc traham illud *Petri Firmiani* (*Gyg. Gall. tr Ædes pudicitiæ p. m. 131.*) pietas qvaſi lenonis officio fungitur, dum turpiſſimis moribus velum obducit, Chriſtoq; qvi publicis honoribus colitur, in ſecretioribus aditis præfert libidinem. Hæc eorum caſtitas ut magis pateſcat verba ſuperaddam *Cornelij Agrippæ* (*de vanit. ſcient. c. 63.*) Ille cum in præcedenti capite (*62.*) de ſectis monaſticis egiſſet, cur titulū de arte meretricia ſubjiciat hanc aſſignant rationem. Reliqvum nunc, ſcribit, qvia apud Ægyptios primos religionum authores neminem olim Sacerdotem fieri licebat, qvi Priapi Sacris non prius initiatus fuiſſet, atq; in noſtra Eccleſia receptum ſit, qvod carens teſtibus papa non eſſe poſſit, prohibeanturq; Spadones, Eunuchi & caſtrati in Sacerdotes ordinari, palamq; videmus ubicunq; ſunt magnifica iſta templa & Sacerdotum monachorumq; collegia utplurimum in proximo eſſe lupanaria, qvin & plurimæ monialium & veſtalium ac beguinarum domus privatæ qvædam meretricularum

for-

fornices sunt, qvas etiam monachos & religiosos (ne diffametur eorum castitas) nonnunqvam sub monachali cuculla aut virili veste in monasteriis aluisse scimus, visum est non præter ordinem de arte meretricia sermonem hic subnectere. *Hæc Agrippa.*

§. 9.

Ut igitur eò melius hujus miraculi originem indagemus, in antecessum, à qvibus viventibus penis erigatur. Secundum naturam & præter naturam tribus prælibandum. Musculos penis ad erectionem immediatè favere antiqvi credidere, sed horum sententiam dum accuratè examinavit *Regnerus de Graaf. (c.l.p.144.)* rejecit, qvia in omnibus musculis dum agunt id, ad qvod destinati sunt, eorum ventres intumescant, atq; extremitates ad se invicem accedant. Qvod cum ita sit, fieri non potest, ut penis hac ratione extendatur; qvandoqvidem musculi actio sit contractio, qvæ extensioni contraria est. Neq; etiam horum musculorum ope immediatè penis erectionem contingere posse, ex eorum accuratiori inspectione & iis qvæ jam dicta sunt, clarè cognoscitur; qvia musculorum illorũ extremitates ad se invicem debent accedere, & cum principium, qvod coxendicis ossibus firmiter implantatur, propter illorum qvasi immobilitatem moveri non possit, necesse est altera eorum extremitas appropinqvet, cui cum affixum sit membrum virile, necessariò id seqvi debet: Si vero seqvatur, qvid fiet? penis non erigetur sed deprimetur; qvia in inferna parte, sive sub pene ex coxendicis appendicibus originem sumunt dicti musculi, & inferioris penis parti implantantur. Mediatè tamen eos ad hanc actionem concurrere posse asserit *(c. l. p. 158.)* qvatenus scilicet penis musculi coarctando corpora nervosa circa eorum exortum sangvinem versus penis partem anteriorem propellunt, atqve sic corporum nervosorum distentione erectionem adaugent.

§. 10.

Spiritum & sagvinem utrumq; vasa distendentem allegat *Th. Bartholin (l.1. Anat. reform. c. 15. p.m.147.)* à flatibus & Spiritibus à Corde per asterias ad penem tendentibus eum attolli *Sinibaldo (l.3. Geneanthrop. tr. 1. c.7.)* placuit, qvi animalia parva Corda obtinentia salacissimis annumerat: qvia calidissima. Spiritum animalem qvamvis non excludat *Graafius (c. l. 154.)* tamen *cum Highmoro* arterioso sangvini primatum tribuit.

buit. Ut verò ſangvinem hunc multum ad penis erectionem facere juxtim ſtatuimus, in eo tamen minimè erit acqvieſcendum. Qvæ cauſa erit impellens cur iſte ſangvis ἀθρόως penis arterias ſubeundo diſtendat. Nulla ſanè alia, qvam nervoſas partes titillans ſub idea libidinis vapor, qvam prægreſſam titillationem doloris levioris propaginem demum ſangvinis affluxus inſeqvitur. Vapore iſthoc unà cum ſemine egeſto qvod detumeat penis, unica cauſa eſt, qvamvis ſangvis iſte per venas non retroceſſerit. Qvare cum in pueris & ſenibus ſtimulus iſte non deprehendatur, nec tento valent nec duello. In Brutis verò cum certo à natura conſtituto tempore expergiſcatur, non omni tempore venereos amant amplexus. Cauſa eſt pariter hic ſtimulus cur nobis invitis etiam in ſomno promineat veretrum, ut hanc virtutem genitali membro inſitam tanqvam animal qvoddam eſſe ſcribat *Plato* (*in Timæo*) genitalisq; arrectionem beſtiam, de qva *Matreas* conqverebatur, ſe animal alere, qvod ſeipſum abſumeret. (*vid. Caſaubon. comment. in Athen.*)

§. 11.

Qvæ præter naturam tentiginem concitando Satyricum movent impetum, calculi ſunt veſicæ & renum. Vidi tales laborantes, inqvit *Paulus Zacchias*, dum adhuc ſummis doloribus cruciarentur in venerem accendi (*l. 3. qvæſt. med. legal. Tit. 1. q. 4. n. 8. p. 227.*) Idem podagricis ſupervenire doloribus aliqvoties ab aliis audivimus. Et cum à calculi doloribus ſæpius inſtar caudæ propendeat inteſtinum rectum, balanoq; pruritus inducatur (*Hæfer. Herc. med. l. 3. c. 4. p. 171.*) cur non & tentum vibrarent comprimis robuſtioribus junioribus & ſucculentis iſtæ calamitates. Rationes alias ſuggeret *Sinibaldus* (*l. 3. Geneanthrop. tr. 1. c. 17.*)

§. 12.

Aſſumta medicamenta anſam huic malo pariter ſuggerunt. Purgantia hic multis ſuſpecta. Ventrem non ſolvunt, ſcribit *Foreſtus* (*l. 26. obſ. med. 9. p. 574.*) in priapiſmo Medici, ne cum fluxu ventris materia inferius derivetur. Exempla ſingularia communicat *Platerus* (*l. 1. obſ. med. 9. p. m. 245.*) Cum amicum qvendam meum, narrat, virum multos annos viduum & continentiſſimum pientiſſimamqve leviter purgare vellem, ac pilulas leviores ex Aromatibus paratas, ſicq; dictas exhibuiſſem, ſeqventi manè ad me venit expoſtulans mecum, me ſe decipere voluiſſe, cum nullam ab illis ſenſerit per alvum evacuationem, ſed pru-

ritum & ſtimulum ſolum venereum, à qvo tota nocte fuerat divexatus: vixq; illum à ſententia potui dimovere, etſi à medicamentis purgantibus qvandoq; irritari etiam ea loca, qvæ ad ſeminis excretionem pertinent, oſtenderem, ideoq; non ſtudio ſed caſu hoc factum eſſe. Gemellum mox ſubjungit, tertiumq; ſuperaddit: Alius qvidam ſumto cathartico, cum illud adhuc operaretur, ſimulq; cum ad venerem ſtimularet, uxorem aſtantem, illiq; miniſtrantem compreſſit, unde valdè debilitatus, adeò ut Medicum accerſere, illiq; delictum confiteri cogeretur, aſſerens, ſe nunqvam adeò ad Venerem impulſum, atq; ea ipſa hora, qva adhuc per alvum dejiciebat, nec ſe continere ullo modo potuiſſe. Huc ſpectantia recitat *Sinibaldus (l. 3. Geneanthr. tr. 1. c. 12.)* Qvendam à Pharmaco irritante excitatum unà cum ſemine vim purgantem in meretricem transfudiſſe nos aliqvando legiſſe recordamur, non aliter ut purgantia, qvod ſvadet *Sennertus (l. 5. inſtit. med. p. 2. ſ. 1. c. 5. p. 1111.)* Nutrici oblata infantem purgant, lac qvando ſugit, cujus rei rationem dedit *Illuſtris Anglus Robertus Boyle (part. 2. Chymiſt. Sceptic. p. m. 70.)* Cum verò alvi à purgante clauſtra laxantur, muto riget non in omnibus ſed junioribus, Venereïs & Plethoricis. Atrabilarios his addit *Sinibaldus (c. l.)* Expertus eſt hoc ille apud *Alex. Benedictum (l. 24. de curat. morb. c. 18.)* decrepitus, de qvo ſeqventia conſignavit: Qvidam à nobis nobilis Venetus qvæſivit ut aliqvo adjumento ſenectutis effœtam virilitatem reficerem. Septuagenarium hominem demiror, claudum, hemiplexia debilitatum, tàm impudenter lenocinia adhuc per vicos perqvirentem, roganti capulari ſeni diaſatyrion concitatorium promiſimus: at Diaphœnicon abſtulit hilaris ſenex, qvo aſſumto inter meretricis amplexus, ſalivariaq; oſcula pigritantem venerem primum demirans ac ſubinde damnans, turbato ventre ad ſellam properare cogitur, non ſine inteſtinorum tormentis; atqve eo modo alvum decies ſtolidus homo exoneravit. Ferunt alii, ſubjicit *Foreſtus (l. 26. obſ. med. 19. p. 591.)* idem Monacho contigiſſe, at alio modo: Medicamentum ad continentiam faciens exſpectabat Monachus: Alius eodem tempore ſponſus utcunq; ſenex medicamentū expoſtulabat ad venerem concitandam, ſed pharmacopolæ errore contrarium monacho exhibitum fuit, ita ut illa nocte tentigine veneris ſupra modum affligeretur, contra ſponſus novæ nuptæ nihil hilaritatis attulerit.

§. 13.

§. 13.

Cantharides cum non tantum extra explicatæ (*Langius Tom.1.Epist. 47. Solenander s.1. Conf. Med.2.p. 13.*) sed etiam in manu detentæ (*Smetius obs. miscell. p. 44.*) imò in bursa gestatæ (*Schenckius l.7.obs. med. p.m. 873.*) vesicam & vias urinarias ita lædant (qvamvis id non perpetuum sit *teste Sennerto tr.de Dysent. c.2.p. 10.*) ut mictio subseqvatur cruenta; ita intrò sumtæ illæsis reliqvis partibus per vias lacteas; (*ut vult Th. Barthol. Cent. 4. Epist.65. p.480.& de lact.Thoracic. c.9. p.77.*) non expectantes donec per universum fiat circulatio (*id. Cent.3. Epist. 75. p. 334.*) Sponte ad vesicam feruntur, imò & uterum, ut iisdem assumtis fœtum tenellum ejiciant scorta impura (*Schræderus l.5. Pharmac. cl. 4.c.98. p.m. 340.*) iisqve enormes non sine vitæ periculo inferunt calamitates. Exempla notavit *Schenckius* (*c. l.*) ex aliis. Evenit inde per accidens, ut ab ista titillatione juvenes nanciscantur priapos extentos, ut ille *apud Forestum* (*l.24. obs. 7. p.448.*) & irritati ad venerem supra modum coëant. Mota hoc experimento infamia prostibula scortatoribus cibos earundē pulvere aspergunt, ut illa de qva *Schenkius* (*c. l.*) imò ipsi scortatores ad cöitus illecebram cantharidum pulverem absorbent, ut ille juvenis Gallus qvovis Gallo gallinaceò salacior, apud *Langium* (*c. l.*). Qvamvis semper funestus exitus infame hoc maneat desiderium.

§. 14.

Satyrioni à Natura ad Venerem inditus stimulus nomen peperit. Ex Aqvæ pingvedine eundem deduxit *Joh. Petr. Fabr.* (*l. 3. Panchym. s. 8. c.6.p.404.*) En è *Kirchero*) *l.1.Art.magn.luc. & Umb. part.2.c.5.Reg. 2.p.61.*) memorabilem nec injucundam narrationem. Adolescens qvidam qvoties in horto suo locum qvendam non viriditate minus qvam umbrarum amœnitate conspicuum visitaret, toties adeo vehementius libidinis stimulis agitabatur, ut insolita qvadam corporis prurientis affectione agitatus Satyriasin contraxisse videretur. Contigit autem cum HenricoCorvino nobili seplasiario qvodam tempore amicius tractans ei passionem suam revelaret. Is qvid erat suspicans locum sibi monstrari postulat, qvo facto totum locum Satyrii qvodam genere, cujus nomen consultò tacemus, repletum invenit qvo invento nihil facilius fuit, qvam causam tàm vehementis Symptomatis assignare. Retulit qvoq; hanc herbam tàm potenter ad venereos motus excitare, ut vel

manu detenta qvis sese manifesto Satyricæ commotionis periculo exponat: ut proinde mirum non sit tàm potenter fuisse agitatum, qvi herbam ejusdem genuinã sobolem tàm freqventer terendo molestaverat.

§. 15.

Bangue Persas efficaciter in venerem animare *Olearius (l.5. itiner. Musc. Persic.c.15.& in not. ad itiner. Mandelsloh. l.1.c. 20.)* retulit. Præparationem his descripsit: Die blätter werden gesamlet ehe sich noch der Same an den stengeln sehen lässet / werden in schatten gedorret / und zu pulver zerrieben mit Honig vermischet / und kugeln als tauben eier groß daraus gemacht / von selben essen sie ein oder zwey stück / und gehen darauff ihre gänge. Sie rösten auch die hanfkörner / besprengen sie mit saltz / und essens an statt des Confects. Banguem autem Cannabim nostratem esse putat, qvod è *Garzia (l.2. exot.plant.hist.c.25.)* refutat *Tappius (Orat.de Tabac.& ejus abusu.)* Qvæ de Asseral Species Bangues habet *Hartmannus (tr.de Opio th.3. q.3.p. 25.)* huc referantur.

§. 16.

Maslach Turcarum qvid sit inter Autores non convenit. Evolvantur *Bellonius (l.2.obs.50.) Hartmannus (c. l.q.4.p.29.30.31.) Sennertus (l. 1. med. pract.p.2. c.6. p. 328.) Hofmannus (l.2. de med. off.c.169.§. 22.) Tenzelius (Exeges. Chymiatr. p.547.) De nomine verò Thurneusser. (l. 1.Herbar. c.29.p. 117.) & Oberndorffer (Apolog. Chymico-med. p. 71.)* De hoc qvod prælium inituri Turcæ, non aliter uti qvidam nostri milites & nautæ pulverem pyrium epotant, qvod *Verulamius (hist. vit. & mort. p.223.)* ad conciliandam fortitudinem devorent *Thurneusserus (c. l. p. 120.)* & alii testantur. Id verò ad venereos amplexus continuandos multum conferre juxtim fama est, ut in campo Martio & Venereo strenuos se præstent bellatores. A Turcico Maslach defuncto mentulam fuisse erectam (mallemus dixisset permansisse erectam) *è Salmutho (obs. Mss.)* constat. Et cur plurimi Turcarum in prælio ad S. Gothanum post mortem erectis mutonibus fuerint inventi *vid. suprà §. 6.)* id unicè usui Maslach imputandum esse censuit *Nobilissimus Sachsius noster (in lit. ad nos datis.)*

§. 17.

De opio idem referunt Judis & Turcis maximè familiari. Inde qvidam Maslach opium reputarunt, qvo etiam inclinat *Scaliger (Exerc. 154. p. 615.)* Ascribendam illud forsan opii caliditati, calidum namq; non

non frigidum ut veteres *Dioscorides (l. 4. mat. med. c. 63.) Galenus (l. 8. de Comp. med. sec. loca c. 2. & 3.)* & alii esse probarunt *Mathiolus (l. 4. c. 63.) Hartmannus (c. l. th. 5. q. 1. p. 50. & sq.)* qvæ ut aromata œstrum concitant venereum. Ex illo igitur Indi in Bantam Electuarium parant Affion dictum coloris cineritii saporis dulc-amari *qvo* Urinenses in Batavia utuntur ad excitandam venerem, ejusq; usu tàm fortes evadunt veneris milites, ut non tremula sed erecta hasta pugnam per totam noctem exerceant. *(vid. Jac. Saar. Jndianische Reise beschr. p. 11.)* Cur verò Orientalibus opium venerem excitet, septentrionalibus extinguat, ob laxitatem pororum accidere concludit *prælaudatus Dn. D. Sachsius*, ob qvam & calidissimam temperiem uno qvasi ictu Spiritus & vires diffluunt, opii autem vi parumper qvasi freno cohibiti ad plura certamina repetenda sufficiunt.

§. 18.

Theophrastus (l. 9. hist. plant. c. 20.) mentionem facit herbæ, qvam Indus attulerat. Hæc non solum edentibus, sed saltim tangentibus virilia impetuosè erexit, ut qvoties vellent, coirent. Banguen hanc fuisse qvidam suspicantur. *Conf. Joh. [illegible]gosum (hist. Med. ind. tr. 3. c. 26. p. m. 59.)*

§. 19.

De Boleto Cervino multa vulgus. Placet nobis *Excellentissimi Dn. D. Grabæ* ἐπίκρισις, qvando *(s. 3. Elaphogr. c. 20. p. 258.)* aromatibus & aliis junctis non boletis eam vim tribuit. *Plura de eo egimus alibi (l. 2. de plant. monstros. exerc. 9.)*

§. 20.

Hæc igitur & similia paulò ante mortem assumta Satyriasin viventi dum indurunt penem accedente comprimis universali partium Tetano etiam post mortem rigidum permanere posse non dubitamus.

§. 21.

Qvosdam Salacitas à natura ita prurire fecit, ut cum à coitu qvamvis sæpius iterat nullum sentiat levamen in castrationis vituperio qværant refrigerium ut ille *apud Balthas. Timæum à Güldenklee (l. 3. Cas. medic. 52. p. 198.)* fidicen. Alii cornu instar intensum gestent veretrum, ut Senex ille de qvo *Cælius Aurelianus (l. 3. acut. c. 18.)* Festiva est illa de Monacho *Foresti (l. 26. obs. med. 20. p. 575.)* narratio. Monachus qvidam Salax incidit in Satyriasin, cum imaginationibus venereis valdè indulgeret,

adeoq; tentigine non ſine dolore in Venerem ſtimulabatur, ut furore quodam agitari videretur. Is ut tentiginem illatam reprimeret, mentulam in ollam aqva frigida plenam immerſit; ſed ex vehementi motu cum veretrum moveretur ollam in frontem impegit: Accitus Medicus ut cicatricem inflictam curaret, rem geſtam magno cum riſu aperuit. Exemplum cujusdam cui ob deſvetudinem veneris penis rigebat vide ſis *apud Galen. (l.6.d.loc. aff. in fin.)* Qvosdam ex intempetantia veneris mortuos, imò inter amplexus animam prurientem ejaculaſſe. Exempla proſtant *apud Foreſtum (c. l.obſ.20.p.591.) Hildanum (Cent.1. obſ. Chirurg. 19.) Harsdörfferum (groſſen Schauplatz jämmerlicher Mordgeſchichten part. 1. hiſt. §.11.)*

§. 22.

Nec veneficium aliqvando excludendum. Si namq; reperti ſunt Mutonici viri *teſte Sinibaldo (l. 5. Geneanthrop. tr. 2.c.2.p.666.)* nec non Stygiæ mulieres, qvæ interdiu ſolo intuitu obſcura qvædam murmurante lingva: noctu decantatis qvibusdam abſtruſis verbis lumine accenſo, vel præſentes vel diſtantes, ſeu vigiles ſeu ſomno ſepultos homines in pollutionem demergunt, cur non & rigorem membro virili incutere poſſent etiam poſt fata manentem. Tali forſan faſcino cruciatus fuit olim Heraclitus Imperator, qvamvis priapiſmum fuiſſe ſuſpicetur. *Marcellus Donatus (l. 6. hiſt. med. mirab. c. 4.)* De eo *Pomponius Lætus (in compend.hiſt. Rom.)* qvod novo cladis genere obierit: Teſtium nempè folliculo ſurſum verſo, ſimul cum virili membro, & ſemper tenſo, adeò ut qvoties mejeret, niſi tabula umbilico admota prohibente, vultum lotio ſparſiſſet.

§. 23.

Milites in acie erecta haſta virili cadentes nobis iterum in mentem revocat *Alexander Benedictus*, dum *(l. 24. d. cur. morb. c. 19.p.m.926.)* ſcribit: Mirum eſt qvod in caſtris vidimus ad Tarum in Parmenſi agro, in pugna adverſus Gallos, nuda erant cadavera paſſim per ripas fluminis jacentia, qvorum inguina miræ ſupra modum magnitudinis intenta erant, Solis (ut puto,) vapore, ac heſterno imbre, qvo corpora perfuſa erant. Qvæ de Turcis ſuprà *(§.16.)* diximus huc referenda. Metus mortis inſtantis hic aliqvid, eò qvod metuentibus teſticuli contrahuntur *(ſec. Ariſt. ſ. 27. probl.)* qvod ideò fit, ſi *Caſio (qvæſt nat. & medic. 47.)* creden-

dendum, qvia moribundi ſemen emittunt. Excernitur autem ſemen more conſveto teſticulis ſurſum recurrentibus, qvi deinde ſupra retenti manent. De iſta ſeminis excretione qvid ſentiamus alibi [*l.2, de plant. monſtroſ. Exerc.9.*] fuſius diximus. Id verò certum eſt ob metum mortis externas partes rigere, comprimis pedes qvod ſuppliciorum infamium candidati fatentur. In junioribus igitur, venereis & ſangvineis, nervum adhuc qvi habent, etiam rigentibus partibus vicinis penis rigere poterit. Aut cum probro militi vertatur metus, fortiter dimicantibus ſangvis ebullit, Spiritusq; ferociunt, non aliter ut amore inſanientibus, adeoq; ut ira furor brevis; ita amor diuturna inſania. Pulchrè idcircò Poëtarum ingenioſitas Martem & Venerem uni incluſit thalamo. Qva ſi non ſit bellator, niſi qvi ſtrenuus amator. A prædicto igitur ſangvinis ebullitione facilè penis arrigitur, & ſubſeqvente inſperatò morte violenta à concluſo in ejusdem vaſis ſangvine per aliqvot illa arrectio durat. Qvod radiis Solis & Cœlo pluvioſo id aſcribit *Alex. Benedictus* in eo nobis non ſatisfacit, in aliis à Jove non lotis idem deprehenditur. Interim non negamus, dum à pluvioſa tempeſtate ob putredinem incipientem corpus intumeſcit, tumorem penis etiam à calore putredinali aliqvantiſper, modò penis prius fuerit rigidus, adaugeri poſſe.

§. 24.

Ad excitandam in demortuorum cadaveribus penis erectionem Siphone ſuo utitur *Regnerus de Graaf (tr. de uſ. Siphon. p.230.)* immiſſo, inqvit, liqvore per arteriam hypogaſtricam ad corpora nervoſa excurrentem ſtatim erigitur Penis, idq; magis vel minus prout majori vel minori vi liqvorem in corpora nervoſa propuleris.

§. 25.

Ne Titulo huic ſuum deſit ἐπίμετρον, illud è *Sprengero (part. 2. mall. malef. q.1. c.7.)* qvod etiam citat *Eraſmus Franciſci* in der Schaubühne 3. Verſaml. *p.546.)* de maleficarum præſtigiis, qvibus viris virilia occultare ſciunt, ut firmiter credant, ea falcem Saturninam experta fuiſſe. Membra iſta viginti, triginta aut amplius, refert, ſcatulæ aut avium nido indunt, in qvo vivere & avena aut alio pabulo ſe paſcere videntur. Addit, qvendam ſibi narraſſe, qvod eodem modo virilia ſibi amputata aliqvando crediſſet. Ne igitur Non-vir haberetur Dodonam ſalutavit

lutavit

lutavit ſagam accedendo. Illa ut arborem aſcenderet, & è nido ejuſmodi membris repleto, aliqvod ſibi aufferret, præcepit. Cum verò grandioris ſtaturæ aliqvod eligeret, illa renuit dicendo; Spectare illud plebanum aut ſacrificum. Plura ſi Autorem ad manus habuiſſemus, facilè addere potuiſſemus. Interim hæc ſufficiant.

FINIS.



INDEX RERUM.

Prior numerus paginam, posterior. §. denotat.

Corvi

P 2 Mali-

Lacti-



C 3.

